MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81213-13

AUTHOR:

SCHVLZE, WILHELM

TITLE:

ORTHOGRAPHICA

PLACE:

MARPVRGI

DATE:

[1895]

Master Negative #

93-81213-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887 Schulze, Wilhelm, 1863-1935
Z3 Orthographica.
Marpurgi, 1895. Sq.O. 33 p.
Marburg (Ger.) university. Indices lectionem.

No. 13 of a volume of pamphlets.

378397

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-25-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 13

INDICES
LECTIONVM

ET

PVBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE IN

ACADEMIA MARPVRGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNVM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCXCIV VSQVE AD D. XV. M. MARTII MDCCCXCV

HABENDAE PROPONVNTVR.

13

Praemissa sunt GVILELMI SCHVLZE P. P. E. Orthographica.

MARPVRGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARPVRGENSIS

RECTOR CVM SENATV

COMMILITONIBVS DILECTISSIMIS

S. P. D.

II.

Ex quo Itali acri studio graece addiscere coeperunt, orthographiam latinam de cuius integritate restituenda iam antea viros eruditos cogitasse constat [1]) novae ope scientiae emaculare instituerunt. Quod negotium utile sane et in medii aevi sordibus plane necessarium qua fere ratione aggressi sint docui Tortellii exemplo. Quem cum tempore antecesserint Gasparinus Bergomas et Guarinus Veronensis Manuelis Chrysolorae litterarum graecarum inter Italos signiferi discipulus, tamen de universa emendandi ratione ab illius sententia adeo nihil dissentiunt ut quae Gasparinus et Guarinus inchoarunt Tortellius quodammodo absolvisse merito videatur [2]).

Parisiis adservatur liber manu scriptus s. XV i de quo Thurot haec rettulit [3]):

Traités d'orthographe, de métrique et d'accentuation composés par des Italiens, suivant les doctrines de la renaissance: f° 1 »Iohannis Tortellii Arretini grammatici clarissimi diphthongorum tractatus foeliciter incipit. Diphthongus est duarum vocalium vim suam servantium in eadem sillaba complexio — 40 V° Zuthus Aeoli filius *ΤΕΛΟΣ*« [4]). f° 41 »Apuleii diphtongi foeliciter incipiunt — 44 V°«. f° 45 »Guarini Veronensis de diphthongis ad Florum Valerium commentariolum foeliciter incipit«. f° 55 »Gasparini Pergamensis diphthongi foeliciter incipiunt«. Traité anonyme d'orthographe: f° 61 »*A* geminatur in quibusdam nominibus Hebraeis — 92 *oe* diph. finalis non est apud Latinos nisi in hac interiectione *oe*. *Τέλος ἐστὶν τῆς ὀρθογραφίας*«. Quae deinde sequuntur ad nos nihil iam attinent.

Guarini commentariolum — Gasparini diphthongos non vidi — typis plus semel descriptum est [5]). Quae auctor de libelli argumento et consilio praefatus sit non inutile erit cognoscere.

Guarinus Veronensis Floro suo salutem plurimam dicit. Non sine causa factum esse certe scio quod diphthonganda vocabula scire te velle intelligo quoniam eam rem et ad orthographiam recte scribendi formulam pertinere et non parvum legendi documentum praestare posse cognoris. Qua quidem in re quid agam subdubito. Nam nisi tuae morem voluntati qui de me optime meritus es gessero, ingratitudinis me reum esse confitear erit necesse. Quo crimine nihil gravius aut acerbius vel apud Persas puniri testis est Xenophon. Subinde cum negligentia et vitio librariorum omnem ferme diphthongorum consuetudinem abolitam aut depravatam aspiciam ita ut brevis saepenumero syllabas vetustissimis codicibus diphthongis notatas comperiam: unde ipsarum rationem aut usum aucuper vix satis scio. Et eo magis quod quae postulas dicto citius fieri festinantissimus urges. Verumenim-

---

1) Voigt Wiederbel. ^{2}II 374.

2) Voigt l. l. I 302. II 374.

3) Not. et Extr. XXII 2, 56.

4) Extat tractatus de diphthongis in Tortellii commentariis s. v. *diphthongus*. Quae ratio intercedat inter hunc et illum mihi non constat.

5) Praemittitur Breviloquo Reuchliniano (v. supra p. V 2), inest 'Guarini Veronensis grammaticalibus regulis impressis in civitate Brixiae a. MCCCCLXXXV die XIX Decembris per Boninum de Boninis de Ragusia' et 'Grammaticae Nicolai Perotti cum additionibus regularum et metrice artis Guarini Veronensis perfacundi viri lucidissime perspectae' editae a. 1507. Utrumque librum Francofurti vidi.

vero ne laborem potius fugisse me arguas, decrevi quantum una tumultuaria lucubratione potuero ad te de diphthongis colligere quae latinae locutionis memoria suppeditarit aut si quid paululum graece ex doctissimo ac imprimis humanissimo praeceptore meo Manuele Chrysolora degustavi.

Cum de diphthongorum usu exponere institueret Guarinum ipsius *diphthongi* nominis scripturam a consuetudine antea sollemni ad graecam legem quam in orthographia repurganda se secuturum diserte testatur tacite deflexisse facili probabitur opera. Ex codice quodam qui dicitur saeculi XIVi Thurot[1]) hanc notam orthographicam excerpsit: '*Diptongus .... secundum veram orthographiam non debet scribi per p* [*f* cod.: em. Thurot]. *Debet enim scribi per p et h ... vel per f litteram*'. Veram orthographiam usui opponi patet quem nescio quis eruditione saeculum antecurrens ex etymo corrigendum censuit.

De medii aevi consuetudine satis superque edocti sumus ut alia differam testimoniis insigniter inter se conspirantibus Provincialium quos *diptonge diptongar* dixisse Raynouard auctor est[2]), Hispanorum in quorum usu hodieque formam *diptongo* vigere lexica indicant, Italorum quos *dittongo* ex *diptongo* (non ex *diphthongo*) corrupisse nomen *oftalmia* fidem facit[3]), Britanniae quae duos testes intervallo temporis satis longo seiunctos producit Aelfricum (s. X/XI)[4]) et Alexandrum Nequam (s. XII)[5]), Germanorum denique sub septemtrionibus habitantium[6]). *Diptongus* (s. *diptongus dipthongus dypthongus*) forma sollemnis est in Glosa Admirantes manu scripta[7]), in Alexandri cum glosa Ladaviani et expositione Ludovici de Guaschis editionibus nr. 12. 14. 38 Reichl., in Doctrinalis exemplis Coloniae impressis quae superiorum consuetudinis in universum admodum tenacia fuisse cognovimus (Reichling nr. 71. 116. 193), postremo in editione quam supra p. XVIII 8 descripsi 'Diversis libellis' inserta. In omnibus accedit nomini *diptongus* alterum *heptimemeris* (s. *eptimemeris*) et ipsum *p* non aspirato scriptum. Inter codices Alexandri de *diptongus* (s. *dyptongus*) et *eptimemeris* convenire Reichling diserte adnotat ad Doctrinalis versus 31 (ubi A 1 *ditongus*). 73. 658. 1595. 1606 (ubi L *ditongo*). 2202. 2208 (ubi tamen de AL tacetur) et 2419. 2421, vix ut tibi persuadeas 152. 743 quibus nihil varietatis subscribitur revera in libris extare quam editor in contextum recepit formam *diphthongus*. Nam similis inconstantiae per se admodum improbabilis in editionibus modo enumeratis nec vola nec vestigium deprehenditur et veri perquam dissimile est libros impressos in his a consuetudine manu scriptorum discessisse. Nec potuit omnino Alexander pro saeculi sui more eam formam usurpare quam Reichling Doctrinali intulit[8]), si quidem coniecturam fieri licet ex aliorum grammaticorum latine scribentium in hac re observantia.

---

1) l. l. 554 (coll. 50).

2) Leys d'amors p. 20 (saec. XIV in.).

3) Thurot l. l. 203, 31 (coll. 53) attulit ex libello grammatico s. XIVi partim lingua Gallorum volgari composito hanc de primae declinationis casibus regulam: *Le génitif et le datif singuliers et le nominatif et le vocatif pluriers en ae ditongue longue se defenissent.* Nisi forte error subest, Gallos consequitur superiore aevo *ditongue* pronuntiasse: quod ex *diptongus* eadem ratione repetendum qua Italorum *dittongo*. Hodie non nisi *diphthongue* a lexicographis agnoscitur qui de forma *ditongue* omnino tacent.

4) Aelfric's Grammatik ed. Zupitza 7 sq. Libri de *diptongus* s. *dyptongus* consentiunt.

5) Scheler Lexicogr. latine du XIIe et du XIIIe siècle 114: 'Sciat etiam notarius sive librarius ubi scribere debeat *silen*, ubi *dasian*, ubi *otomega*, ubi *otromecon*, ubi *eta*, ubi *hee*, ubi *delta*, ubi *roricum* [sic?], ubi digamma, ubi *vau*, ubi *iotha*, ubi *sima*, ubi *antesima*. — Sciat etiam ubi hirmos debeat assignari, ubi iperbaton, ubi apostrofos debeat subscribi vel dici, ubi virgula repraesentans *diptongon* scribi debeat'. De Alexandro Nequam v. etiam quae Rose disputat Anecd. I 95 sq.

6) Den tredje og fjærde grammatiske afhandling i Snorres Edda ed. Björn Magnússon Ólsen III 4, 9—11. 13. 14 pp. 47 sqq. coll. p. 7. Ubique *diptongus* scribitur, bis terve in duos versus discissum (*dip* | *tongus di* | *ptongus*).

7) Thurot. l. l. 138, 7. 9. 11. 12. 14. 18. 19. 22. 25. 515, 22.

8) De prava quam editor ceteroquin de Alexandro praeclare meritus in orthographia constituenda iniit ratione dixi supra p. XVII 5. (Cf. et Baebler Beitr. z. Gesch. d. lat. Gramm. 192 *dypthongi* [Joh. Mueller l. l. 232]).

Anonymi saeculorum XIII et XIV quorum ex libris Thurot nonnulla decerpsit nomini *diptongus* aspirationem non minus detrahunt[1]) quam magistri Guillermus[2]) et Parisius de Altedo (a. 1297)[3]) et Caesar quem nuper Fierville ex tenebris luci restituit[4]). Addo testimonia codicis Turicensis s. XII unde Hagen in Anecdotis Helveticis protulit quae grammatici argumenti sunt: *dyptongus* quater scribitur[5]), nullo loco aliter.

2. Quam consuetudinem aspirationis omittendae etiam lexicographi quos medii aevi homines amabant consulere amplexi sunt; omnes enim quotquot volvi consonas graecas φϑ reddunt latinis *p* et *t*(*h*) non solum in *dipt*(*h*)*ongus*, verum etiam in ceteris vocabulis, nisi forte labialis (id quod paucis accidit) prorsus extirpata est[6]).

Salemonis Glossae: *monoptalmus gr. luscus*, *napta purgamenta lini vel cuiuslibet rei* cett. (ex libro glossarum CGL. V 225)[7]), *obtalmia oculorum dolor, Pthias urbs Thessalie, pthongus* (inter *Ptholomei* et *ptotus casus*).

Papias: *napta, optalmia, Ptias patria Achillis, ptongi*[8]), *thisis tisici*[9]).

Iohannis Ianuensis Catholicon: *diptongus* (inter *diptica* et *dyptotus*) *a dia quod est duo et ptongus sonus, napta in Daniele legitur* etc., *ptongus inde diptongus*, *tisicus tisis*. In praemissa grammatica saepius voc. *diptongus* (*dyptongus*) invenitur.

Iohannes de Garlandia: *ptisis* Scheler Lexicogr. lat. 5.

Vocabularius optimus ed. Wackernagel: XVa 32 p. 40 *obtalmia· ougswer*, XVb 46 p. 41 *tisis· brust kristin.* Misere corrupta sunt quae inter lapidum nomina recensentur XXId 37. 38 p. 55 *oftolanus oftomus*: quibus cave ne abutaris.

Vocabularius Francofurt. Praedic. nr. 1986: *butalmus est aliquis habens magnos oculos ut bos, monathalmus habens unum oculum et dicitur a monos et calmus* [sic], *napta*, *optalamia*, *optalimus*. In interpretationibus vocabulorum peregrinorum adnexis leguntur s. v. *bus: butalmon habens magnos oculos ut bos*, *ptisis i. tumor pulmonis*, *ptisicus*.

Vocabularius Francofurt. Praed. nr. 1737: *butalmon*, *diptongus*, *monotalmos*, *optalmus oculus*, *optalmia dolor oculorum*.

---

1) Thurot. l. l. 141, 3. 5 (coll. p. 49). 426, 22 *dyptongata* (coll. p. 50). 438, 5. 6 (coll. p. 50: idem est qui de vera orthographia vocabuli praecepit). — 448, 18. 25. 449, 2. 4 legitur *eptimemeris* quod ex *epta* et *memeris* (i. e. *divisio*) repetitur. — Berger Quam notitiam ling. hebr. habuerint Christiani 37 *diptongum*.

2) Thurot. l. l. 433, 7 (coll. p. 43).

3) Thurot l. l. 140, 10. 27 (coll. p. 39).

4) Une grammaire latine inédite du XIIIe siècle ed. Ch. Fierville. *diptongus* legitur pp. 25. 46. 78. 96. 101, *diptongata* 25, *monotongus diptongus triptongus* 111 (= Thurot l. l. 454 sq.). — Hoc loco adiciam notulam cui commodiorem non invenio. Alexandri v. 1595 adfertur in Tractatu orthographie gallicane Zeitschr. f. neufranz. Sprache und Litteratur I 27, 13. Orthographiae auctor Coyfurelly qui saeculo XIVo exeunte scripsit et in Alexandri versu et in iis quae ipse addit forma *diptongus* utitur (cuius quinque exempla occurrunt). Locum indicavit Stengel cuius insignem humanitatem etiam cum de aliis quibusdam rebus quae ad linguas Romanenses pertinent sciscitarer expertus sum.

5) p. LXIIII v. 15. LXVI v. 27. LXVII 28. 31.

6) De editionibus quas adhibui v. supra p. V sqq. Consulendum de his vocibus semper et Diefenbachium semel moneo.

7) Cf. etiam *napta* Muench. Sitzungsber. 1868 II 398.

8) Secundum cod. Reg. quicum conspirat Ottobon. nisi quod pro *Pthias* corrupte *psttia regio* legitur. Enotavit Wuensch (supra p. XXVI). Editio Veneta habet *diphthongus* (de quo Wuenschium interrogare omisi) *napta opthalmia Phthia phthongi* (inde *diphthongus*). Non intellexit ob eamque causam intactam reliquit interpolator glossam *monotasmon luscus*. — Ex Papia *napta* in Vincentii Bellovacensis glossarium (Spec. doctr. II 72) transiisse videtur (cf. Loewe Prodrom. 239).

9) Reg.; *thysis thysici* Ottob. Interpolator addidit: *rectius tamen pthisis secundum graecam rationem dicendum est ut suo loco notarimus. Nam φϑίσις a Graecis dicitur.*

Vocabularii Ex quo: *monotalmus est aliquis habens unum oculum et dicitur a monos quod est unum et talmus oculus, napta, obtalmia, optalmus est quidam lapis* (unum exemplum habet *optalimus, optalima*), *tysicus tisis.*

Vocabularii incipientes teutonicum ante latinum: *auge· oculus optalmus, augenwe· optalma.*

Gemmula vocabulorum alias Ex quo: *dipthongus, monotalmus, napta, optalmia, obtalmius est lapis quidam, thisis tisicus.*

Gemma gemmarum a. 1504: *dipthongus monopthalmus naptha optalmia obtalmius thisis* (*melius tamen pthisis*) *tisicus* (in Vocabulis et interpretationibus grecorum et hebraicorum terminorum quas supra p. VII cum Gemma gemmarum Coloniensi uno volumine comprehendi dixi leguntur s. *bus: bucalmon* [sic], s. *memeris: eptimemeris, ptongus,* s. *talmon: monotalmus butalmus.* Ex Argentinensibus eiusdem argumenti exemplis a. 1505 et 1508 enotavi *eptimemeris* [s. v. *memeris*], *pt(h)ongus, monot(h)almus but(h)almus* [s. v. *t(h)almon*]).

Vocabularius Gemma gemmarum a. 1514: *bupthalmon, dipthongus, monopthalmus, napta, optalmia, optalmius, tisis* (*melius tamen ptisis*) *tisicus.* Eadem leguntur in Dictionario Gemma gemmarum a. 1520 eodem modo perscripta nisi quod *diphthongus* aspiratum est; in additionibus huius dictionarii inveniuntur haec: *phiriasis dicitur morbus pedicularis quo extinctus est Sylla dictator. pthiriasis* scribendum sit an *phthir.* ambiguum est [1]. Vocabularius Gemma gemmarum a. 1508 omisit *bupthalmon,* exhibet et ipse *diphthongus,* in ceteris conspirat.

Neque diversam scribendi consuetudinem sequuntur in glossariis (s. VIII—XV) Anglosaxones.

Anglo-Saxon and Old-English Vocabularies edd. Wright et Wuelcker vol. I nr. I p. 33, 40. 41 *napta* (34, 5 *neptam*). nr. IX p. 300, 11 *obtalmon* (herbae nom.). nr. X p. 314, 42 *luscus vel monoptalmus* (= Aelfrici gr. ed. Zupitza 304, 17). nr. XI p. 445, 36 *monoptalmis.* 451, 27 *naptarum.* 452, 16 *napta* (20 *neptam*). nr. XII p. 464, 3 *optalmon.* 477, 24 *napta.* 492, 38 *naptarum.* 500, 5 *monaptalmis.* nr. XIII p. 541, 22 *monoptalmus.* nr. XV p. 597, 21 *napta.* nr. XIX 675, 16 *talmus* (i. e. oculus, quam formam ex *butalmus monotalmus* perversa ratione elicuerunt). 708, 5 *tisis· the tyssyke.* nr. XVI 624, 5 *monotalmus* (626, 38 *talmus*) [2]. — nr. IV p. 113, 8 *phtisis* et 157, 5 *monoftalmus* non libri fide sustentantur sed apographi quod in his minutiis orthographicis fide indignum esse iam supra monui (p. IX 2). In vetustissimis glossis Epinalensibus cum bis recte *napta* scriptum sit (ed. Sweet 16 A 23. 38, cf. etiam CGL. V 374, 14 et 31), alio loco 14 C 10 corruptum *monofealmon· unum oculum* (similiter CGL. V 370, 43) legitur cui ne temere credas, perpendas pravas scripturas 4 C 17 *Afestotiles* 1 C 15 *artefta* (pro *artepta* Loewe Prodrom. 259. CGL. V 268, 3. 338, 37) [3].

3. Ex his nominibus origine graecis quorum memoriam vocabularii et glossaria medii aevi propagare solent pleraque ad artes grammaticorum et medicorum pertinent [4], *monoptalmus* ex Aldhelmi de laudibus virginum libro (ed. Giles 172, 4) petitum videtur [5] — v. Steinmeyer-Sievers Die althochdeutschen Glossen II 16, 36 *monotalmus vel luscus· einouge;* 20, 2 *monoptalmi· enouges* —, *napta* denique glossa sacra est quae ad Danihelis c. 3, 46 spectat (v. Steinmeyer-Sievers l. l. I 660, 48). Quae ad illustrandam vocabuli notionem apponuntur fere ex s Hieronymi in Danihelem commentario desumpta

1) Cf. in Salemonis gl. *phiriasis* pro *pthiriasis* (i. e. *πιτυρίασις*) scriptum.

2) *monotalmus* redit in glossariolo versibus concepto quod ex duobus codicibus edidit Cockayne Leechdoms etc. of early England I p. LXI. LXV.

3) In herbario anglosaxonico quod Cockayne evolgavit legitur *buopthalmon* l. l. I 54. 262.

4) *optalmius* ad etymi perverse excogitati similitudinem redactum videtur. *Lapis optalion* oculis sanandis aptus secundum Damoger. c. 24 (post Orph. Lith. ed. Abel p. 182. Pitra Anal. sacr. spicil. Solesm. par. II 643); vide quae Abel adnotavit.

5) Wright-Wuelcker I 500 n. 2. De Britanno vocabulum graecum usurpante quod apud alios Latinos non legitur (deest enim lexicis omnibus) cf. ib. 362, 27 *cacomicanus* (c. nota).

sunt [1]. In Danihele cum *naptha* scriptum exhibeat Vulgatae codex vetustissimus (Amiatinus), de *napta* innumeri paene testes medii aevi [2] consentiant cum Scripturae sacrae editionibus antiquissimis [3], in libris unde Hieronymi commentarius editus est *napta* vel *naptha* extare diserte adnotatum sit Migne 24, 510^{d}, mihi dubium esse non iam videtur quin ipse Hieronymus graecum *νάφθα* latine verterit in *naptha.* Idem in *monopthalmus* et de Aldhelmo valere cum per se consentaneum sit, tum ex editione Gilesiana *naptarum* iuxta *monophthalmus* exhibente satis apparet: editores in talibus librorum scripturam tacite corrigere vel ut verius dicam corrumpere solent.

4. Quid discriminis medio aevo intercederet Graeculos inter et Latinos eadem vocabula graeca pronuntiantes optime illustrabunt Matthaei Silvatici medici Salernitani (s. XIV) Pandectae (s. lexicon medicum) [4]. Inter Salernitanos enim ante Matthaei tempora extiterant qui, cum linguae graecae scientiam non sola lectione verum etiam ex ore vicinorum [5] Graecorum sibi comparassent, in commentariis medicis vocabula graeca sive ut ipsa explicarent sive aliis explicandis adhiberent frequentissime adscribere solerent: quam rem ita administrabant ut litteris latinis in vocibus alienigenis non tam scripturae similitudinem sequerentur quam soni et pronuntiationis. Quae in unum collecta et comprehensa videntur libro quodam 'de doctrina graeca' cuius amplas copias Matthaeus compilavit ut homo linguae graecae ipse ignarus (addita passim libri illius ea inscriptione quam modo exhibui).

Quod de ratione Salernitanis in scribendis vocibus graecis inita dixi verum esse comprobatur his exemplis: nominativis fem. gen. *kori labi sici stafili votani vromi crichi* (leg. *crithi*). Saepe formis latino usu receptis graecae opponuntur, velut *parabola: paranoli* (leg. *paravoli*), *picra: nos corrupte pigra, sansucus: sampsicos, scema: schima, quianos: kianos, quili: chili, diaquilon: diachilon, aspaltum: asfaltos, spera: sfera.* Eodem spectare cuivis apparebit haec: *fthis tabo .i. ptisis, fthisis gre. tabes, fthongos .i. sonus gre. latine ptongus, ptisis fthisis gre.* Ergo pro graecis ex graeco pronuntiandi more scriptis, non pro latinis habenda sunt *fthinoides* quod explicatur voce latina *ptisicus, fthir pediculus gre., fthyrosprion* [6] *gre. gurgulio, ofthis gre. visus, oftalmos oculus, oftalmi oculi, oftal-*

1) Gen. plur. *naptarum* tamen quem in gloss. anglosax. bis invenimus pertinet ad Aldhelmi libellum de laudibus virginitatis ed. Giles 23, sed ipse Aldhelmi locus ex Danihele expressus.

2) In Mammotrecto qui medio saeculo XIIIo (Amiet Jahrb. f. schweizer. Geschichte XVII 14 indicante Kochendoerffero) in usum eorum compositus est quibus sacram Scripturam legere et intellegere cordi erat etiam *napta* (sic scriptum) video explicari. Alia eiusdem scripturae exempla dabunt Diefenbachii Glossaria, formae *naphtha* quod certum sit nullum.

3) Vidi Venetam duas Norimbergenses Basileensem duas Lugdunenses a. 1487. 1489. 1506. 1513. 1520. 1524 (quibus accedit Hugonis cardinalis postillae editio anni et loci notis destituta) conspirare de *napta.* Quae nonnullarum margini ad explicandam vocis notionem adscripta sunt ex Hieronymo desumpta.

4) Ernst H. F. Meyer Geschichte der Botanik IV 167 sqq. Exemplo Marpurgensi quo utor inscribitur: Opus pandectarum Matthei Silvatici cum Quotationibus auctoritatum Ply. Gale. et aliorum in locis suis nec non cum Simone Ianuense ac Tabula (Venetiis per Simonem de Luere. XII Ianuarii MDXI.). Matthaei et Simonis Ianuensis libri ita sunt concinnati (Meyer l. l. 173 sq.), ut quae huius sint, quae illius ego discernere nequeam. Nam Simonis editio mihi non praesto est.

5) Meyer l. l. III 469 n. 2. Cf. Denifle Arch. f. Litt.- u. Kirchengesch. d. Mittelalt. IV 599.

6) *φθειρόσπριον* addendum lexicis.

mia (cf. *kanthi ofralmu* [sic] *gre. anguli oculorum*)[1]. Matthaeum latine et scribentem et loquentem non *fth*, sed potius *pt* probasse certissimum est, cf. *pthisim* cap. 19, *ptisicus* 267. 275, *obtalmia* 298 et ter s. v. *cymosis*, *butalmos* 112 et s. *cotula* et quae suis locis leguntur *aptas* (*vel aptha .i. putredo vel ulcera mala Diasco. Oribasius;* v. etiam c. 418) *ptiriasis* (= *πιτυρίασις* et *φθειρίασις*) *psorotalmia sciroоptalmia*[2]) (et *sclirotalmia*) *sirotalmia*[3]).

5. Quam pronuntiandi et scribendi consuetudinem non sero natam, sed ex aevo multo vetustiore medicis latinis acceptam esse edocuit nos hieronymianum *naptha* [CGL. V 33, 33]: quod confirmatur Oribasii versionibus latinis quae etiamsi complurium saeculorum intervallo distant inter se, tamen in hac re prorsus idem sequuntur. Oribas. VI 55. 585 *oris vitia quas graeci aptas appellant* (i. e. *ἄφθας*). 444 *bubt*(*h*)*almus*. 548 *psorobthalmia* (*psorotalmia*). 249 *optalmia obtalmia* in versione recentiore. V 878. VI 256 *ptisis* et *atrofia* (adtendas discrepantiam!). 274 sqq. *ptysici*. 28 *disptarta* (= *δύσφθαρτα*)[4]).

In medicorum deinde quos ultima antiquitatis saecula tulerunt libris eadem observantia scribendi ut editor in hac litterarum parte longe versatissimus Valentinus Rose, cum in Anecdotis contra libros *phthisis* dedisset[5]), in Plinio Secundo qui fertur Gargilio Martiali Cåssio Felici tandem usus constantia motus non solum *aptha pthisis pthisicus pthiriasis pthoe xeropthalmia*[6]) in contextum receperit, sed etiam in indicibus diserte adnotaverit gr. *φ* latina consona *f*, gr. *φθ* latinis *pth* reddi[7]). Obsecutus est in vocabulis *pthisis pthisicus* Helmreich Marcelli Empirici editor[8]), qui tamen non debuit inconstantia nescio qua ratione excusanda *aphthas xerophthalmia* propagare libris invitis[9]).

1) Cf. quae Rose Cass. Fel. p. 218 s. *φθόη* ex Simonis Ianuensis libro quem inspicere non potui attulit: *ptisis ... non scribitur apud Graecos cum pt sed cum fth ut fthisis.*

2) Hoc ne calami errore natum putes v. Gerberti epist. ed. Havet nr. 151 p. 133 *philoanthropos*, Matth. s. v. *filantropon* ubi additur forma *filoantropus*. Similia postea offendemus in Plinii libris.

3) Cf. etiam s. v. *napta*. De usu scholae Salernitanae vide S. de Renzi Collect. Salern. II 101. 223 sqq. IV 228. 385. 412 *ptisis ptisicus pt*(*h*)*isica passio*, 474 *obtalmia* (334 *ottalmice*). Sinon. Bartholom. 31 *napta*, 32 *obtalmia*, 36 *ptisis*. Alphita 24. 127 (s. v. *oculus bovis*) *butalmon*, 127 *obtalmia*, 182 *talmon, inde butalmon et obtalmia*, 175 (s. v. *stibeus*) *perlati obtalmon* (leg. *platiobtalmon*).

4) Refragatur unum *euftarta* VI 28 (in recentiore exemplo *tufraxta*, Matth. Silv. habet 'ex Oribasio' *enfratica vel enfractica*, alio loco *eustracta;* cf. s. *distracta*), quod explicare nequeo. Quamquam explicationem repetendam esse conicio ex illis *ἀπελέφτερος αὐφθέντες* simm. quae Graeculis usitata fuisse memini.

5) II 257, 20. 266, 16 ubi *ptisis* traditum Rose correxit.

6) Cass. Fel. ed. Rose 52, 15 *xeroobtalmia*, 56, 19 *xerotalmia*.

7) Plinii Sec. quae feruntur una cum Gargilii Martialis medicina ed. Rose 125. 218 s. *ph*. Cass. Fel. ed. Rose 249 s. *ph*.

8) *pthisis pthisicus* p. 153, 16. 166, 24. 167, 3. 6. 9. 12. 18. 170, 18. 177, 1. 194, 3. 213, 16. *pthipsicis* legitur 224, 15 (sicut alias haud infrequenter *tipsana* pro *ptisana* scribitur [improbante Rog. Bacone Comp. stud. 454 Brewer] vel *siptacus* Chron. Min. I 543 Mo. pro *psittacus*). Corrupta sunt *phisicos* 155, 25 *pisico* 161, 12. Scriptura miro modo inversa utuntur loci 137, 28 ubi *tpisin*, 163, 27. 32. 164, 4. 7. 14. 17. 18. 165, 10. 166, 15 ubi *tphisis* vel *tphisicus*. Comparari potest *Tpholomais* (pro *Ptholom.* quod vocabulum saepissime aspiratur) Onomast. sacra (ed. de Lagarde) 110, 21. 134, 1.

9) *xeroptalmia* vel *xeropthalmia* in codice esse Helmreichius ipse dicit p. 409 s. v. (cf.

6. Sed itinere ad exeuntis medii aevi tempora reflexo colligamus necesse est de medicorum per saeculum decimum quintum usu testimonia. Quae in clara luce collocabunt traditionis continuae seriem ante Italorum decreta nullibi interruptam nec non diversarum artium in vocabulis peregrinis et scribendis et pronuntiandis consensionem. Nam quae grammatici in lexica rettulerunt deprehendimus eadem eodem aevo in usu medicorum: *pt*(*h*)*isis opt*(*h*)*almia butalmon.*

Sescentis locis in Orto sanitatis[1]) leguntur *ptisis ptisicus obtalmia*[2]) et extat capitulum quo de *butalmo* agitur. Carminis de viribus herbarum quod Aemilii Macri Floridi nomen mentitur non modo codices sed etiam commentarius Guillermi Gueroaldi ('profess. medic. in acad. Cadomensi sub finem s. XVi' Choulant in prolegg. ad Macrum 5) typis descriptus (utor exemplo Marpurgensi sine l. et a.) habet *ptisis* c. 6. 35. 45. 58. Ambae quas volvi Speculi doctrinalis a Vincentio Bellovacensi compositi editiones consentiunt de *obtalmia*[3]) et *ptisis* XV (XVI) 68. 87[4]). Liber canonis Avicennae impressus 'per Paganinum de Paganinis Brixiensem Venetiis a. 1507 die primo Nov.', cum in vocabulo *epilepsia* iam a sollemni medii aevi more scribendi descierit, tamen *obthalmia pthisis* retinet. Etiam quattuor post lustris cum Avicennae opus 'Venetiis in edibus Luce Antonii Iunta Florentini mense Iunio 1527' prodiret, *opthalmia pthisis* suum locum defenderunt in ipso libro, quamquam editor in capitulorum indice *ophthalmia* (iuxta *pthisis* quam formam non attrectavit) exarari iussit. Inaequalitate scribendi insignis est editio Avicennae (cum Gentilis Fulginatis expositionibus coniuncti) Venetiis per Baptistam de Tortis 1492 die XI Februarii impressa: l. III 10, 4, 18 sq. 5, 6 *pthisis* (quae forma etiam in tabula comparet)[5]), III 3, 1, 6 sqq. initio *optalmia*, deinde saepissime *ophthalmia* in Avicennae contextu, cum in Gentilis Fulginatis commento ubique fere *obtalmia* scribatur; tabula habet *ophthalmia*. Unde *ophthalmia* docti correctoris esse satis apparet.

7. In his vocabulis ut binae aspirationes continuarentur ab Italis demum institutum esse graeca eruditione imbutis (utrum legitimo Romanorum usu renovato an abrogato interim

p. 71, 2. 5. 72, 20). 115, 33 *aphas* traditur cui *t* inter *p* et *h* inserendum. — Ex Apuleii qui fertur libro de virtutibus herbarum afferuntur *tauro- hyophthalmus* (Saalfeld. Tens. s. vv.), sed in libris potius esse *-optalmus* vel simile quid conicias ex Hermanni Koebert dissert. de Pseudo-Apuleii herbarum medicaminibus 43 ubi ex alio capitulo vetustissimi codicis Leidensis (saec. VI) adnotatur haec lectio: *tyfonos optalmon* i. e. *Τύφωνος ὀφθαλμόν*. — Demosthenis medici 'librum qui inscribitur *Opthalmicus*' saeculo nono Bobii in bybliotheca extantem Gerbert bis in epistolis (ed. Havet nr. 9 p. 7. 130 p. 118) commemoravit. Haeser Geschichte der Medicin I[3] 391. — *bubtalmon* CGL. III 536, 64.

1) De Orto sanitatis v. Ernst H. F. Meyer Gesch. d. Bot. IV 197.

2) Velut de herb. 76 A. 471 B (*ptisis*). 246 C. 384 B (*ptisicus*). de lapid. 26 D (*ptisicus*). de herb. 98 I. 367 C. 423 A. B (*obtalmia*). Locorum numerus facillime augeri potest. *pht*(*h*) nullo loco inveni.

3) Quod saepissime *obtalmia* scribitur per *b*, quamquam per se explicationis non indiget (cf. *nervus obticus* Scheler Lexicogr. lat. 113 et sescenta eiusdem generis exempla), tamen animadvertas fuisse qui *obtalmiae* nomen ex *ob* et *talmos* repeterent: Alphita 127 *dicitur ab ob et talmon, quasi contra talmon* (i. e. oculum).

4) In vocabulo grammatico *diphthongus* (*dyphthongus*) editio Veneta a. 1494 obtemperavit novae Italorum doctrinae, in medicis non item (II 12. 14, at *dypthongus* 68). Altera vetustior Argentinae impressa etiam in *dyptongus* III 12. 14. 68 medii aevi consuetudinem amplectitur. Indicavit discrepantiam quae attendatur perquam dignam Juerges.

5) Anthimus Theuderici regis Francorum archiater si libris credendum vetustissimis (saec. IX) *φθισιχούς* dixit consona sublata initiali *tisicos*. Rose Anecd. II 93, 9. 13. 94, 2. 97, 6. Qui Anthimi libellum s. XIV/XV emendavit et levigavit ut commode legi posset (cod. *p* Rose l. l. 61), pro medicorum illius aevi consuetudine *tisicis p* litteram ubique restituit.

relinquamus in ambiguo) siquis concedere gravabitur, ipsis tandem ad dicendum testimonium Italis evocatis vel invito extorquebo ut sibi persuadeat.

Qui saeculo sexto decimo lexica latina condidere novae studiorum rationi aptata nulli omnino dubitaverunt quin graecis φϑ latina *phth* rite et necessario responderent. In Calepini editione anni 1506 inveni *naphtha Phthia Phthiotis phthiriasis phthongus*, in Vocabulario Ioannis Altensteig Mindelheimensis (1508)[1]) Henrici Bebelii epigrammate commendato[2]) *diphthongus phthisis phthiriasis* (ἀπὸ τῶν φϑειρῶν), in Dasypodio (1537) *buphthalmus naphtha ophthalmus* (*monophthalmus*) *ophthalmicus Phthia phthiriasis Phthiriophagi phthisis phthongus*, in Roberti Stephani Dictionario nominum propriorum cuius exemplum Coloniae per Martinum Gymnicum excusum a. 1546 praebuit bybliotheca Francofurtensis *Aphthonius Phthia Phthiotis Phthirophagi*.

Longe ab horum aequabilitate aberat Tortellius qui quamquam 'aspirationes quae essent apud Graecos servari in suis dictionibus apud Latinos' generatim edixit, in singulis tamen hinc inde usui plus concessit quam rationi. Hinc factum ut iuxta *diphthongus ophthalmos* (*ophthalmia triophthalmus aegophthalmus*) *phthongus* (inter *Phrixus* et *phucus*) in ordinem receperit post *psora*, ante *ptysis* (i. e. spuitio) nomina *Pthia* et *pthisis*. Nota qua de *Pthia* exposuit nobis perscribenda est:

'*Pthia* prima cum *th* aspirato immediate subsequente *i* latino scribitur. sicque frequentius scribitur[3]): licet Homerus addat quandoque aspirationem ad *p* et dicat *Phthia* —. Verum latini nostri poetae consueverunt interponere aliud *i* et dicere *Phithiam* tribus scilicet cum syllabis' (adscribuntur Ovid. Her. 3,65 et Verg. Aen. I 284)[4]): 'sic Graeci *mnan*, nos *minam* dicimus'[5]).

Hinc disci potest quales philologi formas traditas acceperint et quo modo ad normam graecam paullatim immutaverint initio aliqua certe consuetudinis ratione habita, sed mox facti audaciores et omni excussa traditionis reverentia. Si cui tamen scrupulus in animo resederit,

1) Arcentur in praefatione ut 'imperitum vulgus' Catholici auctor, Hugutio, Mammetrectus,
Papias, Grecista, Ioannes de Werdea, Brito, cum his existimatione iniustiore etiam Synthis. 'Alexandri
Galli quem pro deo habent doctrinam non omnino sese contemnere' Altensteig concessit. In ortho-
graphicis ad graecam legem revocandis vel Italis severior est: more omnibus hodie recepto distinxit
Python (Πύϑων) et *phyton* (φυτόν), quod illi nondum fecerunt.

2) Non hic invenies Papiam atque Hugutio quae dat
Somnia, Catholicon cogitur esse procul.

In Apologia dicit Bebel graecas litteras, 'in quibus se tamen tenuissime doctum et vix primis rudimentis imbutum esse' ingenue fatetur, 'multum prodesse verae observationi latinitatis'.

3) S. v. *Asopus* editio qua utor exhibet *Phthia*. Procul dubio non ex Tortellii mente, sed typothetae sive editoris arbitrio. Idem admissum video in nomine *Sphingis* cui Tortellium aspirationem demptam voluisse ipsa Tortellii verba comprobant.

4) Ex Tortellii auctoritate pendet Iunianus Maiius Parthenopeus s. *diphthongus ophthalmos phthongus Phthia* (post *psora* inserto) *pthisis*. Nescio tamen unde desumpserit *dipteriae* (i. e. διφϑερίαι). Cf. hispan. *diptera*.

5) *Phithia* facilem habet explicatum. Ex *Pthia* natum *Pithia* (sicut ex *bdellium -a bidellium*
-a Ihm ad Pelagon. 125 p. 154 sq. Oribas. VI 363 not. GGL. III 617, 40. 619, 15; ex *κτείνω kytino* ib. 76, 46)
aspirationem traxit ex *Phythia*. Nam *Phythium* medio aevo dicebant saepissime τὸν Πύϑιον (hodieque Itali
fitone τὸν πύϑωνα). *Phython Phythea* (τὰ Πύϑια) *Phythius* ne Tortellius quidem aut Georgius Valla
improbarunt. Alia testimonia coacervare nunc non vacat (cf. tamen Zechmeister Schol. Vindobon.
16, 29 sqq. 48, 28 sqq.); sunt autem plurima neque omnia recentis aevi (moneo etiam de Ioseph. Antiqu.
XIV 93 Πειϑόλεος: *Phitolaus* Lat.). In Tibullo ab omnibus retentum *Phyto* (nomen Sibyllae) i. e.
Pytho. Eodem modo, quo *Phithia* ex *Pthia*, ex *pthisis* nata videtur forma *fitisis* CGL. III 601, 21
(cf. 601, 15 *fitiriasis* i. e. πιτυρίασις, Alphita ed. Mowat 146 *phisial*[i]*gia· dolor lumbi*, i. e. ψυαλγία).

eximetur testimonio Ioannis Ioviani Pontani[1]) huic loco reservato quo ne fingi quidem potest luculentius aut evidentius:

'Consuevere etiam maiores nostri de quibusdam vocibus demere aspirationem et *p* tantum scribere, contra *h* [*i* editio] quibusdam addere, ut in hac dictione *trophaeum*, ex quo effectum est ut indifferenter dicamus *Phylemonem* et *Pylemonem*, *Thermophylas*[2]) et *Termopylas* et alia quaedam eodem modo. Graeci *Hypsipylen* et *Thermopylas* semper, nos libentius *Thermophylas* et *Hypsiphylen* [cf. fol. 23b] cum aspiratione, contra *dipthongum* [*diphth.* edit.] magis quam *diphthongum*. Illi quoque ut nos indifferenter *Persephonem* et *Phersephonem*. At *sphaeram* et *Sphinga* nos nunquam dicimus, quod Latino non conveniat ponere *s* ante *f* vel *p* aspiratum [*hemisperio* fol. 26a]. — E quibusdam dictionibus latinae pronuntiationi consulentes non modo aspirationem, sed ipsum etiam *p* abiecimus, ut cum dicimus *apothegma*, quod apud illos est *apophthe⟨g⟩ma*[3]), quae pronuntiatio habet asperum nescio quid et quasi confragosum, quod lingua nostra vehementer horret[4]). — Ante ϑ locatur *p* aspiratum ut in his — *Phthia* urbs seu regio a qua Achilles *Phthius*, quamquam multi aspirationem tollunt et *Pthius* dicunt, *phthis⟨is⟩*, *ophthalmos ophthalmia* oculi morbus, quibus plerique aspirationem detrahunt'.

'In quibusdam [scil. ϑ] habet [sibi praepositum] *p* aspiratum ut in his, *Phthia* pars Thessaliae, *Phthius*, *phthongus* vox et sonus, et ab eo *dipthongus* [*diphth.* ed.] aspiratione de litera *p* dempta, similiter *pthiriasis* [*phthiriasis* ed.] morbus a pediculis dictus et *pthisis* quae graece scribuntur per ει — nam graece φϑείρ est pediculus et φϑείρω corrumpo —, at *ptysis* quando scribitur per ypsilon caret aspiratione [scil. consonae *t*] et fit a verbo quod significat spuo, πτύω. Graece habent duo priora *ph* ante *th*, verum a nostris dempta est aspiratio; similiter e [*e* ed.: an de?] nomine *Nepthalim* quod scribitur per *t* aspiratum. Est Iudaeum nomen'.

Pontanus igitur verbis confirmat omni ambiguitate vacantibus quod ex indiciis plurimis supra collegeram: sermonis latini consuetudine ante Italorum operam obtinente non fuisse probatam aspiratarum *ph* et *th* continuationem.

8. Cuius asperitatem detrectantes ex vocabulis graecis ubi φ et ϑ sese continuo excipiunt iam quinti saeculi medicos aspirationem labialis consonae tollere solitos esse p. VIII demonstravi. Idem secutum esse vidimus Hieronymum in vocabulo *naptha*. Neque aliter egit qui saeculo sexto Iosephi libros graece vertit:

Νεφϑαλίς: Neptalim Antiqu. I 305. II 181. *Nepthalis* V 91. *Νομφϑής: Noptim* II 180. *Βηϑαραμφϑᾶ: Betharamtha* XVIII 27 (*Betharantas* bell. Iud. II 4, 2). *μασναε(μ)φϑῆς: masnaempthis* III 157. *Ἰαφϑᾶς* (*Ἰεφϑᾶς*): *Iepthas* V 257. 271[5]), *Iepthe* (nom.) 262, unde formae *Iephtha*: *Ἰφϑάε* VI 90 errorem subesse conicias[6]). Bell. Iud. V 11, 5. VI 1, 8. 2, 6 pro *Τεφϑαῖος Γυφϑαῖος Γεφϑαῖος* scribitur *Testeus*

1) De aspirat. lib. II f. 40 b. 41 a. 46 b (Opera soluta oratione composita, Venetiis in aedibus Aldi, et Andreae soceri, mense Aprili 1519 tom. II). Pontani verba a typographo depravata et absurde distincta correxi.

2) quae corruptela satis vetusta. Hieron. chron. 103 *p* Schoe. *Thermophilis* in codd. FP (saec. IX). Mela 2, 45 (cod. s. X) *Thermophylae*.

3) fol. 43 b legitur *apothegma*. Cic. de off. I 29, 104 *apot*(*h*)*egmata* exhibent Bamberg. saec. X i et Bern. s. XIII i.

4) In scribendo Pontanus fere secutus est graecam consuetudinem (excepto vocabulo *heptimemeris* [sic de aspirat. lib. I fol. 7 a. 18b] quod cum parum intellexisset omisit corrigere), in pronuntiatione tamen haud scio an non iam sollemnem medii aevi usum deseruerit. Scribendi ratio quae graecae legi ab eruditis hominibus accommodari solebat et pronuntiatio tunc temporis saepissime videntur inter se discrepasse. Vide fol. 33 b *non semper ut loquimur sic scribimus, pronuntiamus amurcam et Caietam et Cneum et curculionem sic ut quae in scribendo est littera c fiat g in pronuntiando*.

5) Cf. contra *Ἰαφϑᾶς: Iaphet* I 109. 122. 124. *Iafed* 127. 128.

6) I 137 *Cephthos* est pro *Chepthos* (gr. *Χεφϑώς*). Talia in latinis libris titulisque sescentiens admittuntur.

(corruptum ex *Tepteus* quod habet Hegesippus V 20, 2) *Gypteus Gesteus* (pro *Gepteus*, deest nomen in Hegesippo)[1].

Obtemperavit in hac re Iosephi interpres sollemni eorum consuetudini qui saeculis superioribus scriptores Graecos toga induere romana studuerant. Qui sacram Scripturam ante Hieronymum latine verterint Septuaginta interpretum in VTo vestigia ita legisse notum est ut ne in propriis quidem nominibus ad hebraicas id est originarias formas quicquam respicerent[2]. Ergo ex graeco vocabulo *Νεφθαλείμ* expressum est quod in Pentateucho Lugdunensi non minus 15iens legitur *Nepthalim*[3]. Cuius testimonii gravitatem insigniter augent suo assensu (nam quod dentali saepius aspirationem demunt nihil morandum) et alia VTi fragmenta de quibus in nota admonui et libri vetusti quibus euangeliorum versio continetur ab Hieronymiana discrepans.

Matth. 4, 13 exhibet cod. Vercell. [saec. IV] *Nepthalim* (vocabulum v. 15 iteratum lacuna interceptum), 4, 13 et 15 Veronensis Corbeiensis[4]) Sangermanensis[5]) Colbertinus[6]) Cremifagensis[7]) *Neptalim*, Brixianus *Neptalim Nepthalim*, codex Bezae Cantabrigiensis[8]) *Nepthalim* (priore loco ex *Nephalim* suprascripto

1) Bell. Iud. IV 3, 8 *Aphathas* (in aliis *Apathas*) ita corruptum ut nullius usus sit in hac quaestione. — De Latini in Bello Iudaico lectionibus me edocuit Benedicti Niese humanitas.

2) Adscripsisse sufficit ex Pentateucho Lugdunensi formam *Abiron* (gr. *Ἀβειρών*, Hieronym. *Abiram* Heyse-Tischendorf in Num. 16, 1). Num. 32, 42 Hieronymus *Canath* scripsit (*'vicus qui nunc Canatha dicitur'* Onom. sacr. ed. iter. de Lagarde 143), codex Alexandrinus *Κααναθ*, Ambrosianus *Καναaθ* cui respondet Lugdunensis *Canaath* et nomen hodie receptum *Kanawât* (unde contractione quadam gr. *Κανωθα* [Mordtmann Oesterr. Mittheil. VIII 183] *Κανανθα* [Allen Amer. Journ. of Philol. VI 1885, 190 sqq. nr. 41]).

3) Pentateuchi versio latina antiquissima e codice Lugdunensi ed. Ulysse Robert p. 14, 25. 38, 4/5 (ubi *Nep|thalim* in duos versus dividitur). 43, 21. 49, 12 (ceteros locos recenset praef. LIX). Alia fragmenta antehieronymiana aspirationem detrahunt, Monac. ed. Ziegler 62, 8 *Neptalin* Num. 34, 28, Ottoboniana ed. Vercellone (Var. lect. vulgatae latinae Bibl. editionis I) 184 *Neptalim* Gen. 49, 21. Cf. Berger Hist. de la Vulg. 68, 1. 138, 3. de Lagarde Septuagintastud. I 65 (Iud. 5, 18).

4) Ne editione quam olim Martianay curavit, Blanchini in Euangel. quadrupl. repetiit deceptus in Corbeiensi *Nephthalim Nephtalim* legi opineris, adeas recognitionem Belsheimii (Das Evangelium des Matthaeus nach dem lateinischen Codex ff¹ Corbeiensis, Christianiae 1881), ubi p. 8 videbis in codice bis *Neptalim* scriptum extare. Licentia qua editorem Martianay in libro vetusto grassatum esse videmus suadet ne temere credamus Angelo Mai in euangeliorum cod. vetustissimo Vaticano [Claromontano] in Script. vet. novae collectionis tom. III (p. 257) typis expresso bis *Nefthalim* exhibenti. Quod cum prorsus solitarium sit nec possit aliis exemplis idoneis adstrui, nullus vereor Angelo Mai fidem abrogare qua eum in orthographicis omnino indignum esse aliunde satis superque constat.

5) ed. Wordsworth (Old-Latin biblical texts I) 8.

6) ed. Belsheim, Christianiae 1888, 4.

7) W. Weissbrodt De codice Cremifagensi comm. I (Brunsbergae 1887) 19.

8) Usus sum (scilicet quia recentior Scriveneri mihi non praesto erat) editione Kiplingiana a. 1793. — Sunt inter libros enumeratos de quorum indole inter peritos parum convenerit et qui rectius fortasse testibus versionis Hieronymianae adgregentur. Sed quia Hieronymum et ipsum *Nepthalim* scripsisse mox apparebit, non ita multum refert quo illos loco inseram. Certum est in nominibus ex Hieronymo non pendere codd. Verc. Veron. Cantabrig., probabile idem in Brixiano. Vide quae de forma *Istrahel* (etiam in Lugdunensi obvia) disputarunt E. Ranke Latinae Vet. Test. versionis antehieron. fragm. e cod. Fuldensi eruta (Marpurgi 1856) 27 sqq. Roensch Das Buch der Jubilaeen 455. 458 et Collect. phil. 245. Ziegler Lat. Bibelübersetz. vor Hieronymus 114 n. 5. *Isdrahel* GL. VI 473, 29 (= An. gr. Vind. 50 n. *e*).

t[1]), insequente ex *Neptalim* suprascripto *h* correctum) — cuius libri auctoritas eo maior, quandoquidem verbis graecis latina e regione collocata respondent. Easdem formas in exemplis quae tunc homines usurpare solebant legisse constat quos veteri interpretatione usos esse aut per se consentaneum sit aut ceterorum nominum formae demonstrent ab Hieronymianis dissentientes, Tertullianum (qui tamen fortasse verba ex sacra Scriptura apponenda ipse ex graeca in latinam linguam transtulit)[2]), Iuvencum[3]), Sulpicium Severum[4]) qui praeter *Neptalin* etiam *Iepta* (gr. *Ἰεφθαέ*) quater admisit[5]), Heptateuchi auctorem[6]), Eucherium episcopum Lugdunensem qui 'novae (sc. Hieronymi) translationis' quamquam notitiam habebat[7]), tamen 'veteris' lectioni adeo videtur adsuefactus fuisse ut sequi praeferret[8]). Apud Eucherium (sicut in Sulpici Severi chronicis) praeter *Neptalim* p. 544 invenitur etiam *Giepthae* i. e. *Iepthae* p. 545[9]). Huic testium locupletissimorum consensui unanimo cedant auctoritate oportet 'Gigas librorum' (qui liber a vetustate parum commendatur) unde Belsheim *Nephthalim* Apocal. 7, 6 enotavit, Bobiensis quem in Africa saeculo quinto vel sexto ab homine linguae latinae fere ignaro (ut videtur Graeco)[10]) exaratum coniciunt[11]), Sangallensis ne ipse quidem in vetustissimis numerandus qui habet *Nephthalim* non vere latinum, sed (ut fit in versione interlineari) ex graeco *Νεφθαλείμ* cui superscriptum est infectum[12]). [De Sangallensi minus recte huc relato v. Berger l. l. 114].

1) Hinc errore facillimo nasci potuit *Nephtali* quod revera in codice aureo (ed. Belsheim, Christianiae 1878) Matth. 4, 13 deprehenditur, ut tamen ex versu 15 *Nep|thalim* exhibente intellegatur quae vera subsit et genuina forma. Ne de hac lectionis *Nephtali* origine amplius dubites, cf. Hieronym. chron. p. 117. 119 (I 139) Schoe. ubi in cod. M quater *Phtolomeus* exaratum esse (*Ptholomeus* R), chron. min. ed Frick I 180 ubi eandem formam compluriens in codice Bernensi legi editores testantur. V. etiam Iustin. ed. Ruehl p. LVIII sq.

2) Roensch Das neue Testament Tertullians 65.

3) Euang. I 413 *Neptala*.

4) Chron. 6, 3 ed. Halm *Nebroth* (gr. *Νεβρώδ*) loco Hieronymiani *Nemrod*.

5) *Nept.* 10, 16 (quod et in ed. princ. Basileensi a. 1556 retentum est). *Iepta* 29, 24 (abl.). 29, 27. 30, 2. 7 (nom.). Hieronymus habet *Iepthae* (*Iepte*). Halm dedit *Nephtalin Iepta* quod qua ratione defendas me quidem fugit.

6) ed. Peiper Gen. 1096 *Neptalimus* AC, *Nepthalimus* G. Iud. 426 *Ieptea* ABC, 466 *Iepthea* AB, *Eptea* C. Consentiunt igitur tribus locis libri de *pt*(*h*), ut dubium esse nequeat quin loco quarto quod in solo B extat *Gephthea* contradicente C (*Neptea*) deficiente A corruptela laboret. Quamquam scripsit editor quod vel disparilitate intolerabile est *Neptalimus Iephthea*. De versione quam Heptateuchi auctor secutus sit exposuit C. Bekker De metris in Heptat. (Bonnae 1889) 27 sqq.

7) Instruct. Eucherii (ex cod. s. sexti ed. Pitra in Analect. sacr. spicileg. Solesm. parat. II) 549: *vetus translatio habet speroteres*, *nova vero ferulas* (qui locus fugit diligentiam Bergeri l. l. 2). Quae verba pertinent ad Exod. 25, 31 sqq. ubi in fragmentis Ottobonianis a Vercellonio editis I p. 309 legitur *speroteres* (= *σφαιρωτῆρες*), in Vulgatae codice Amiatino *sphaerulae* et *sperulae*. Hinc Eucherio restituendum *sphaerulas*. Aliam interpretationem sequuntur Lugdun. et Wirceburg. (Robert l. l. CXXXIV).

8) Cf. p. 544 *Strahel*, 550 *Maestraim*, 546 *Ambacum* qua forma (graecae *Ἀμβακούμ* respondente) improbata Hieronymus *Abbacuc* reduxit. Cf. Bernays Gesamm. Abhandl. II 290. *Ambacum* Prudent. Cath. IV 59 (*Nebroth* Hamart. 143). Eadem forma legitur etiam in codicis Amiatini 'titulis in duodecim prophetas' antehieronymianis (edd. Heyse-Tischendorf p. LXVI: variante scriptura *Ambacu Ambacum Ambacuc* quod ex parte hieronymianae formae adsimulatum) et initio codicis Sangermanensis (Old-Latin biblical texts I p. IX).

9) Graecae Cantabrigiensis lectioni Matth. 27, 46. Mc. 15, 34 *ζαφθανει* respondet in Latinis *zapt*(*h*)*ani* (quod et in Vulgatae codices quosdam irrepsit, cf. v. c. Berger Hist. de la Vulgate 95, 3). Resch Aussercanon. Paralleltexte 91 sq.

10) Scribae tribuerim genetivum *Moseos* in latino libro satis mirum Mc. 17, 26.

11) Wordsworth Old-Latin bibl. texts II p. XV (obloquente tamen Sandaio p. CLVI).

12) Codex Sangallensis ed. Rettig, Turici 1836.

Sacrae Scripturae interpretibus antehieronymianis utpote genere cognatus continuo addendus est qui Leptogenesin latine vertit: ut in *Istrahel* ita etiam in *Neptalim* cum illis consentit[1]). Nec praetermittenda nobis hoc loco chronica latina quae cum auctores Graecos referant in nominibus *Neptalim Iepte* similibus ab usu in sacris scripturis observato nihil discordant.

Chronica minora ed. Mommsen I $100a_{118}$ *Neptoin*[2]) (*Νεφθουείμ*), a_{117} *Capturin Captorim* (*Καφθοριείμ*), $117a_{234}$ *Neptalim*, $118a_{261}$ *Iepte*, b_{104} *Ieptha*, 167_{139} *Neptabim* (*Νεφθαβιείμ*) s. *Neptoin*, $_{141}$ *Chapterini* s. *Capturim*, 176_{232}. 178_{236}[3]). 187_{496}. 193_{565} *Neptalim*, 174_{290} *Iepthe*, 189_{515} *Ieptha*[4]). Addas *Iepte* chron. min. ed. Frick I 163, 25.

Ab hac scribendi ratione quod sola excerpta quae vocantur barbari toto distant caelo, tantum abest ut causam meam infringat, ut planissime confirmet. Nam qui libro isti chronographo vestimentum graecum detraxerit ut latino qualicumque mutaret (saeculo sexto vel septimo) hominem fuisse G r a e c u m latinae linguae parum peritum operaque laboriosa ex glossariis bilinguibus verba latina quibus opus esset expiscantem, universam orationem ad graeci utique sermonis legem monstruosum plane in modum componentem, quivis versiculus manifestissimis prodit indiciis: quae quod vel novissimus editor Frick parum attendit[5]) perquam mirum. Neque enim solum inter latina verba graeca reliquit nemini unquam Romanorum adhibita velut *archistratigus protopator podalgivus* (scr. *-icus*) *polyolbus*, verum etiam in omnibus fere sive graecae originis seu romanae vocabulis litteras ecferendi morem Graecorum expressit, *i* usurpavit pro *η* vel in Romanorum nominibus indigenis *Rimus Pompiius Criticus Cornilius Aurilianus dinarius*, ut praetermittam *Rinus Iliogabalus Dioclitianus ritor iroes herimus* cetera quae in nota coacervata videbis[6]), *y* (*i*) pro *οι* in *Fynici Byotia Cyli Syria Cryssus Eubya Mossonici* (= *Μοσσύνοικοι*) *Prytus Thymytus*, retinuit *p* pro *f* in *Bosporina Bosporani*[7]), nomini *Pamflagonorum* inseruit nasalem[8]), ante consonas corrupit *l* in *r* in *Dermatia Dermatius*[9]), post nasalem substituit tenui

1) Roensch Das Buch der Jubilaeen pp. 48 (28, 21). 66 (33, 20). 72 (38, 5), cf. pp. 137. 444 (de forma *Neptalin* qua Sulpicius Severus usus est p. 132). Monuit Deissmann.

2) Quod hoc loco ex O affertur *Nephtalim* nititur fide Pitrae quae in his rebus nulla est (Anal. sacr. spicil. Solesm. par. II 277).

3) Frick Chron. min. I 148 dedit *Nephtalyn Nephthalyn* quas formas conlatoris errori deberi constat Mommsenii qui codicem denuo ipse excussit testimonio. — Editionis Mommsenianae p. 175_{311}b (= Frick. 146, 7) quod legitur *Nephalyn* nota ratione ex *Nepthalin* corruptum.

4) Etiam in his chronicis pro obrussa utamur nominibus *Nebrod* et *Ambacum* quae sicubi comparent Graecos auctores subesse efficitur. Chron. min. ed. Mommsen I $126b_{135}$. $127a_{235}$. 133_{332} *Ambacuc Ambacum Ab(b)acum* in libris cum legantur, genuinum esse *Ambacum* apparet quod ad Hieronymiani *Abbacuc* similitudinem a recentioribus librariis aliis aliter accommodatum sit. *Nebrot* invenies $96a_{56}$ alias. De libro genealogo v. quae Mommsen p. 155 disputavit et conferas *Nebrod* 164_{72}. de Lagarde Septuagintastud. II 44.

5) V. quae de interprete dixit I p. LXXXV.

6) *Agamistor Aginor Agisilaus Athinei Bilus Dimitrius Democritus Dimofus Dimosthenus Diognitus Ecatin* (= *Ἑκάτην*) *Epimitheus Filomitor Ganymidis Hirodotus Iphestus Ira zygia Omirus Promitheus Sarpidus Theetitus Thiseus Zinofilus Zinon. Adiabini Cefalinia Cifissus Cyrinei Cythira Cizicinus Crita Dilus Ibiria Isminius Limnus Midi Mitilina Piluseum Priinna Samothraci Thaci* (= *Ἰθάκη*) *Thibei.*

7) ed. Mommsen $98_{62,11}$. $107_{187,28}$. 111_{198} ubi liber generationis vere latinus habet *Bosphor.* (*Bosf.*) vere latinum.

8) Cf. Ps.-Scymn. ed. Mein. 389 *Παμφλαγόνων*.

9) qua de re fusius egi Zeitschr. f. vgl. Sprachf. XXXIII 224 sqq. Obiter addo ex CGL. III 207, 26 *erminx· lumbricus* quod confirmatur loco Matthaei Silvatici: *ermicar· lumbricus.*

gutturali mediam in *Lyggeus*[1]), permutavit *b* et *m* in *Saurobati Dolomallo Salbanasar*[2]), nominibus *Εὐαῖος Εὐεργέτης Εὔηνος* intrusit spirantem Krumbacherianam[3]) ut evaderent *Eugeus Eugergetus Euginus*, scripsit *Sampson* pro *Samson*, *Saggarius Agchisus Lyggeus Tiggitanii* pro *Sangarius Anchises Lynceus Tingitani*, *Tarcyinius Cyintus Cyintillus Cyntilliano* non sicut Romani sed prorsus ut Graeci solebant, pro *Vero* dixit *Byrrum* (i. e. *Βῆρον*)[4]). Nominum derivationes quae ab usu Romanorum prorsus abhorrent aut intactas reliquit, velut *Athinei Thibei Achei Argii*, aut corrupit inepte ad analogiam vocabulorum in *-us* cadentium revocatas, velut *Troii* (pro *Τρῶες*) *Tharsi Criti*: hinc factum ut ne Romani quidem suo utantur et latino nomine, sed graeco more vocitentur *Romei*. Accedit quod latinae linguae sese adeo ignarum exhibuit ut cum omnibus fere terminationibus graecis usitatissimas secundae declinationis latinae substituere adsuevisset — pro *Macedones -um* enim legis *Macedoni -orum*, pro *Persae Persi*, pro *Demosthenes Dimosthenus*, pro *Ariphron Arifrus*, pro *Amyntas Amyntus*, pro *Pausanias Pausanius* similique modo depravata omnia alia prope semper[5]) —, eandem rationem ad romana quoque nomina transferret: hinc orta illa monstra ablativorum *Cinno Messalo Dolomallo.*

Talia qui non uno alterove loco admiserit sed constanti fere usu et catervatim interpretem librum graecum in parentum sermonem vertisse egone mihi unquam persuadeam[6])? Incurrerem pro-

1) Ut in re nota satis habeo apposuisse Matthaei Silvatici testimonium s. K: '*k* littera eiusdem potestatis est apud Grecos ut apud nos praeter quando antecedit ei gamma' (cf. s. v. '*emiuggion gre. semuncia*'). 'Nam quandocunque kappa sequitur gamma habet sonum de gamma, *isenengis singopi*' Roger Bacon 505 Brew. — *angistron* CGL. II p. XXXVII. *γκ* in *γγ* (quod iam in vetustissimis codicibus invenitur) prius abiisse quam *ντ* in *νδ*, *μπ* in *μβ* facile probatu.

2) G. Meyer Gr. Gr.[2] § 180 p. 186 sq. Unger Philolog. XXV 4 sq. Enman Kyprus und der Ursprung des Aphroditekults (Mém. de l'acad. de St. Pétersb. ser. 7. tom. XXXIV nr. 13) 4 not. 3. *Γερβανικός* Newton Discoveries at Halic. II 2 nr. 6 *a* p. 698. *Ἀβίαντος* CIGS. I 162.

3) Cf. *pisteugo* in Symb. apostol.: Caspari Ungedruckte, unbeachtete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel III 20. Exempla quae in excerptis barbari comparent omnium quae adhuc innotuerunt longe vetustissima videntur. Nisi forte huc pertinet nomen Eugippii (Eugepii).

4) Graecum idioma quod nota dignum sit animadvertit Wachsmuth ed. Frickianae I 236, 26 '*multa multa*': qui tamen pro semiticis huius modi geminationis exemplis ex LXX depromptis afferre debuit vere graeca quorum facile vetustissimum fuerit Sophoclis illud *μίαν μίαν* Antiatt. 108, 9. Sed haec pertractare non huius loci est.

5) *Δία* abiit in *Dium*, *Στασάνορι* in *Stasanoro*, *Ἀγήνορος* in *Aginori*, *Ζηνός* in *Zini*.

6) Easdem fere res quae in excerptis barbari tractantur cum liber generationis enarret, a Mommsenio utraque versio e regione ita collocatae sunt ut uno conspectu duplicem memoriam commode liceat conferre: apertas quae inter singulos prope versus intercedunt discrepantias si studiose collegeris, in excerptis facile agnosces interpretem Graecum omni fere accuratiore sermonis latini notitia destitutum et cavebis ne suasore Frickio barbarum illum cum Gregorii Turonensis rusticitate vere latina falsissime componas neve quae iste ignorantia foede peccavit (velut *defexit constaverunt*) pro sinceris linguae volgaris indiciis calidius quam rectius vendites. Novi illius alterum similem, hieromonachum qui aliquot post saeculis in monasterio quodam Italiae graeco ritui addicto Isaiae codici graeco praeter versionem Hieronymianam novam ab ipso confectam adlevit. Cf. Cozza Sacrorum bibliorum vetustiss. fragm. ex palimpsestis codicibus bibliothecae Cryptoferratensis XLVIII sqq. qui paullo timidius sed in universum recte de interpretis indole existimavit. Qui cum inter latina reciperet mere graeca *draci eli* p. LIII, retineret *gg* in *eggastrimythos* et transferret in latina *aggustia aggularem* pp. 248. 258, *reptilia* in *erptilia* detorqueret p. 228, scriberet ex Graecorum more pronuntiandi *Carchidon Finices* p. 245 et *Abstro* (pro *Austro*) p. 289, manifesto se prodidit his rebus Graecum, ut ineptire iudicandi sint qui illius *cadebit ponebunt* similia pro latinis habere non erubescunt: et ipse scripsit *Nefta* . . (in vers. Hier. *Nepht.*) p. 218. Subit hoc loco recordatio Calabri illius Leontii Pilati hominis Graeci qui auctore Petrarca Homerum latine vertere aggressus est; in particula quam Bernays in Pentade versionum homericarum a. 1850 typis iteravit invenio *Pidasum* pro *Πήδασον* Φ 87.

fecto stultitiae crimen a quo illum Frickius patrocinio satis infelici defendere conatus est. Indoctissimus homo fuit, ut qui ne de tritissimis quidem historiis quicquam fando acceperit [1]), at non Latinus, sed Graecus (si minus natione, tamen sermone) [2]). Haec tecum animo reputans evolvas editionis Mommsenianae pp. 100 a_{118}. b_{88}. a_{117}. b_{90}. 118 a_{261}. b_{104}. c_{247}: videbis qui latine loquantur dicere *Neptoin Capturin Iept(h)e*, qui semigraece balbutiat contra *Nefthabiim Cha⟨th⟩fthoriim Iefthe* [3]). Vix est cur moneam hoc nobis loco eandem discrepantiam deprehendi quam supra in Matthaei Silvatici *fthisis*: *ptisis* similibusque exemplis explicavimus.

9. In sacra Scriptura sermone latino interpretanda Hieronymum viam iniisse a superioribus prorsus diversam in volgus notum. Qui cum omnia quod eius fieri posset ad hebraicam veritatem revocare studeret, in nominibus propriis, quae formas originarias quadam similitudine referre voluit, consonas פת latinis *phth* (*fth*) utique debuit exprimere, quandoquidem ipse compluribus locis de hebraicae consonae *phe* (non *pe*, ut hodie litteram appellare solent) recta pronuntiatione adnotavit: 'Sciendum est quod apud Hebraeos *p* littera non habetur nec ullum nomen est quod hoc elementum sonet' [4]). Tamen aspiratas *ph* (*f*) et *th* inter se continuatas ab indole linguae latinae usque adeo abhorrere censuit ut a veritate deficere quam aures popularium offendere praeferret non modo in ipsis nominibus, sed etiam in eis vocabulis hebraicis quae ad illustrandam eorum originem hinc inde apposuit. Cuius rei praeclarum exemplum praebent quaestiones hebraicae in libro Geneseos (rec. de Lagarde 45, 25) in explicatione nominis *Neptalim: neptule eloim neptalti*.

Ad hanc normam quin Hieronymus scripserit *Nepthuim* (Gen. X 13. Chron. I 1, 11) *Chapturim* (Gen. X 14) *Nepthalim* (s. *Nepthali*) *Iepthe Iepthahel* (Ios. XIX 14) *Nepthoa* (ib. XV 9) *Sareptha* indubitabile prorsus est ob consensum quaestionum hebraicarum [5]), librorum de interpretatione hebraicorum nominum et de situ et nominibus locorum

1) Troiae nomen cum Solis ab illo propter itacismum esse confusum dudum animadversum est. Corruptela perspectu facillima ita deceptus est ut pro διφυής formam sensu omnino cassam *dipsyis* propagaret.

2) Cogitavi de Iudaeo (baptizato scilicet). Nominativus ille *diabius* miro 'hypostaseos' genere ex διὰ βίου procusus (ed. Frick. I 298, 9) Iudaeorum consuetudine receptus est et saepius in titulis sepulcralibus comparet quos Schuerer collegit et exposuit libello 'Gemeindeverfassung der Juden in Rom' (p. 23). Sed hoc indicium esse leviusculum non ignoro. Quamquam cf. quae Frick 278, 28 de 'Sosate Ebraico Omiro in Alexandria hoc solo loco commemorato' adnotavit.

3) Quod p. 117 a_{354}. c_{237} Latinus et Graecus in *Neptalim* conspirant, in exemplis numerandum sermonis ad latinum usum recte conformati quae non omnino deficiunt, sed adsunt paucissima (velut 100 b_{97} *Tripolitani*), fortasse tamen illa a librario latino postea inlata (v. quae Mommsen p. 84 de *Lychnitis: Lucidissima* monuit et cf. 92 c_{18} *asfaltu bitumini* ubi interpolatio in aprico).

4) Onom. sacr. 65, 19 coll. 69, 8 Lag. Cf. Siegfried, Die Aussprache des Hebraeischen bei Hieronymus, Zeitschr. f. d. alttestam. Wissensch. 1884 IV 63 (indicavit Deissmann collega), qui tamen eo maxime peccavit quod quaestionem superstruxit fundamento parum valido: in orthographiae minutiis nemini editorum ulla fides habenda nisi novissimo de Lagardio.

5) 14, 16. 16, 31 *Captorim* (priore loco *Chaptoriim* Frising.). 45, 22 *Neptalim* (*Nefthali* Fr.), *Neptali*. 45, 27 *Neptali* (*Neptalim* Fr.). 69, 5 *Neptalim* (*Nefthali* Fr.). 70, 11 *Nepthalim* (*Nefthali* Fr.), 12 *Nepthali* (*Nefthali* Fr.). Quod in solo Frising. aliquotiens *f* pro *p* scribitur non mirum, quoniam librum illum ab homine linguae hebraicae perito retractatum esse de Lagarde evicit (Genesis graece p. 23 sq.). Peccant codices uno loco 16, 29 ubi quod paucis verbis interiectis ante *Captorim*

hebraicorum [1]), codicis Vulgatae vetustissimi Amiatini [2]) (ut taceam de chronicis) [3]). Quorum testimonia confirmantur tenaci amplius mille annorum usu qui saeculo demum sexto decimo derelictus est. Ecclesiam enim Romanam, cum saeculo illo ad finem vergente reciperet receptasque auctoritate tutaretur pontificali formas *Nephtali Iephte*, a sua ipsius consuetudine per tot saecula sollemni descivisse certo est certius.

Ex historia sacra receperunt medii aevi vocabularii et glossaria nomina paullo notiora cum hieronymiana fere interpretatione [4]): inter quae frequentissime laudantur *Neptalim* et *Iepte*, alterum permultis Scripturae locis obvium [5]), alterum historia celebratum. Quorum utrumque aspiratione legi destitutum in Papia, Vocabulario Ex quo Francofurtensi [Praedic. 1737] anni 1429, interpretationibus alteri vocabulario [Praed. nr. 1986] anni 1456 subnexis, *Neptalim* omisso socio in Salemonis Glossis

legitur *Nefthuim* mirum in modum congruit cum Amiatino Gen. X 13. 14 *Nephthuim Capthurim* exhibente (sed idem Amiatinus Chron. I 1, 11 *Nepthuim*).

1) In onomasticis latinis a de Lagardio editis invenitur *Neptalim* s. *Neptali* (dentali consona saepius aspirata: quam discrepantiam neque in hoc vocabulo neque in aliis curo) 38 iens (uno loco unus codex *Nephali* exhibet 110, 9), *Chaptor* 22, 6, *Chapturim* 22, 5 (*Chapturim* B: *Chafthorim* FH 4, 16), *Iept(h)e* 5 iens testibus consentientibus (*Iepte* : *Iesthae* 155, 15; *Iepte* : *Iesthae* : *Iefthae* 28, 9). Ad. Ios. XV 9 spectant *Napto* 142, 16 et *Nepthoe* 29, 12 (in duobus traditum, in tertio *Nefthoe*), ad Gen. X 13 *Neptuim* : *Nesthuim* : *Nefthuim* 9, 6 (sic in libris variatur). *Sarept(h)a* (*Saraptha*) 43, 17. 154, 4 ex Reg. III 17, 9 ubi gr. Σαρέφθα; *Saraptha* : *Sarapha* : *Sarastha* 65, 30 ex Luc. IV 26 ubi Σαρέπτα. Hinc inde *p* mero errore in *s* et *f* corrumpi potuisse vix negaveris. Ad eundem locum Ios. XIX 14 pertinent *Iepthahel* 134, 3 (*Iesthael* perperam H) quod Amiatini auctoritate confirmatur, *Iafehel* (*Iefeel*) 28, 14 quod interposita forma *Iaphehel* ad *Iapthehel* revocari licet, ex graeco denique Γε(ε)φθαέλ 245, 51 expressum *Geefthahel* (*Geesthael*) 128, 14 quod fide vix dignum (cf. *Iepte* 28, 9 c. not.). Dentalis falso inserta nomini *Remfthis* 146, 25 (teste Eusebio quem Hieronymus latine vertit 288, 11 Ῥεμφίς). Ex Eusebiano Ἰάφεθ 267, 69 et Hieronymiano *Iafie* 28, 13 (quicum conspirat Amiatinus Ios. XIX 12) inepte contaminatum *Iafthie* 133, 32. Quod igitur seponendum.

2) Heyse ad Num. II 29 *Nephthalim*: 'sic iterum Iud. I 33, alias ubique cum tenui *p Nepthalim* 22 locis, *Nepthali* 13, *Neptali* 6, *Neptalim* 3'; ad Iud. XI 1 *Iepthe* 'constanter'; Ios. XV 9 *Nepthoa*, 14 *Iepthahel*, Gen. X 14 *Capthurim* (at 13 *Nephthuim*, quod tamen putes eodem errore depravatum quem in *Nephthalim* ut facile agnoscamus effecit vocabuli 44 er recte scripti frequentia; *Nepthuim* revera legitur Chron. I 1, 11). Reg. III 17, 9 *Sarephta* ortum esse apparet ex *Sareptha* quod Luc. IV 26 in eodem Amiatino legitur. Contra recte habet *sophtim* (praef. p. XXXVIII), ut quod trium sit syllabarum (*sŏf◡tīm*). — Vulgatae editionem anglicam quae nuper prodire incepit doleo quod non vidi. Matth. IV 13. 15 de *Nept(h)alim* concordare Amiatinum Durmachensem Kenanensem compertum mihi est ex Abbotii 'Euang. vers. antehieron. ex cod. Usseriano (Dublinensi)'. Fuld. habet *Nephtalim* et *Neptalim*.

3) Hieron. chron. ed. Schoene 43 *e* *Neptalim*, 53 *d* (coll. I 120) *Iepthe*. Consentire par est Prosperi epitomam chronicon (ed. Mommsen) 389 $_{70}$ *Nept(h)alim*, 390 $_{89}$ *Iepte* (quod cum in V saeculi sexti codice et in C s. noni scriptum extare editor diserte adnotasset non debuit recipere *Iephte*). Easdem formas non aspiratas etiam in recentioribus chronicis inveni, Iansen Enikels Weltchronik ed. Strauch v. 4810 *Neptalim*, Saechs. Weltchronik ed. Weiland 71, 27 *Neptalin*, 72, 20 *Iepte*. — Nescio quo aptiore loco mentionem faciam Gregorii Turonensis qui dixit hist. Franc. I 9 p. 38, 10 et ipse *Neptalim*.

4) Sam. Berger Quam notitiam linguae hebraicae habuerint Christiani medii aevi temporibus in Gallia 16 sqq.

5) Hoc loco admonere visum est commodum de grammatico saeculo nono vetustiore (illius enim saeculi codex est) qui cum de pronuntiatione nominis *Zabulon* praeciperet, apposuit ex Psalm. 67, 28 haec verba *principes Zabulon et principes Neptali* (etiam ab Eucherio in Instructionibus p. 561 Pitra allata, ubi cod. *Neptilim*). Hagen An. Helv. 305, 29 pessime formam ex hebraica ut aiunt veritate a Luthero demum expressam *Naphtali* in contextum recepit.

Augustanis, in glossariis Amploniano primo et Epinalensi [1]), *Iepte* in Catholico, Vocabulariis Ex quo impressis, Gemmis gemmarum quarum recensum supra I p. V sq. dedi, Gemmula vocabulorum (I p. VI). Etiam Reuchlinus quamvis de orthographia ad graecam legem revocanda in universum sollicitus retinuit in Breviloquo sic scripta *Iepte Neptalim*. Neque hoc mirum in disertis quae producemus virorum doctorum testimoniis: de Italis *Nepthalim* pronuntiantibus audivimus iam Pontanum p. XI, quicum prorsus consentiunt Epistolae obscurorum virorum, cum famosi illius Pfefferkornii ex Iudaeo Christiani nomini compluriens vocabulum tribus *Neptalim* (unde se ortum praedicare ille solebat) adiungant [2]). Cui formae hominum aures saeculo ineunte adeo adsuetae erant, quam ne Erasmus quidem Roterodamus auderet graeco *Νεφθαλίμ* vel hebraicae pronuntiationi accomodare, cum Novum Testamentum adiectis interpretatione latina adnotationibus paraphrasi ederet: ubique conservatur *Neptalim* cum in Novi Testamenti editionibus quae Basileae annis 1516. 1522. 1539 seorsim prodierunt tum in Erasmi Operibus in eadem urbe a. 1540/41 coniunctim evolgatis. Aspirationem postea ab Ecclesia Romana receptam video nomini *Neptalim* adhiberi in Hieronymi editione Erasmiana a. 1553 Basileae repetita (cuius *προεκδόσεις* [3]) et ipsas *Neptalim* exhibuisse colligas ex de Lagardii nota in Psalt. iuxta Hebraeos Hieronymi 68, 28 p. 71) et in Novi Testamenti Erasmiani editione Basileensi a. 1577. Ergo typographus tempore quod interiectum erat inter annos 1541 et 1553 mori novicio concedere coepit. Nam morem novicium esse clamant vetustiora sacrae Scripturae exemplaria arte typothetarum descripta [4]). Leguntur in editione Veneta a. 1489 (cum Nicolai de Lyra postilla) *Neptalim Iepte Neptuim Capt(h)urim Sarepta Nepthoa Ieptahel*, Norimbergensi a. 1487 *Neptalim*, Norimbergensi a. 1513 et Lugdunensibus a. 1520. 1524 *Neptalim Iept(h)e Neptuim* (Gen. X 13 in margine *al. Nephetuim*) *Capturim* (Chron. I 1, 11 *Nept(h)uim Capt(h)urim* Lugd. *Neptuim Cathurim* [sic] Nor.) *Nepthoa Iepthahel* (*Iepthela* Nor.) *Sarepta* (consentientibus de *pt(h)* interpretationibus nominum hebraicorum quae libris adnexae sunt), Basileensi a. 1506 *Neptalim Nephetuim* (in marg. *al. Nepthuim*) *Capthurim*. Alteri Basileensi a. 1522 praefatur Thomas Wolfius haec: 'Ne veteri Hebraicarum dictionum prolationi assuetis nauseam moveremus, nihil quod ad vocales attinet immutantes consonantium solum quibus historiae veritas obscura reddi posset rationem habuimus'. Attamen *pt(h)* quamquam 'veritati' parum congruit non reicitur in *Neptalim Iepthe Neptuim Capturim Nepthoa Iepthahel Sarepta*.

Neque alias formas probarunt qui Biblia in linguas volgares transtulere: *Neptalim* Genes. Fundgruben II 43, 18 et Diemer Genesis und Exodus nach der Milstäter Handschr. 57, 27 (saec. XI ex.). Matth. IV 13. 15 *Nept(h)alim* Matth. von Beheims Evangelienbuch ed. Bechstein 13 (a. 1343). Die vier Evangelien in altnordhumbr. Sprache ed. Bouterwek 7. The Anglo-Saxon. version of the holy gospels ed. B. Thorpe. 16. Svenska medeltidens bibel-arbeten ed. Klemming I 222, 22 al. (*Nepthos* II 41, 26. *Iaptahel* 50, 27. *Iepte* 105 sqq.). Apoc. VII 6 *Neptalim* cod. Teplens. Etiam saeculo sexto decimo *Neptalim* simm. retinuerunt interpretes Emser, longe plerisque locis Eck [5]) et Dietenberger qui cum primum Luthero duce formas hebraicae veritati aptatas inferre conatus esset, postea multorum offensione coactus ad longo saeculorum usu [6]) sanctas rediit [7]).

---

1) CGL. V 374, 4. Gloss. Epinal. ed. Sweet 16 A 13.

2) Vol. II 3 (190, 6). 37 (246, 34. 35. 247, 1 bis), ubi Gen. 49, 21 affertur.

3) quas non vidi.

4) Volvi ad quae aditum mihi praebuit bybliotheca nostra academica. E re est monuisse non omnibus editionibus quae mihi praesto fuerunt plenam librorum sacrorum 'bybliothecam' contineri: hinc factum ut ex aliis plura, pauciora ex aliis adnotanda essent exempla. — De versionibus partim admonuit Schroeder qui nec consilio neque opera mihi unquam defuit.

5) In editione anni 1537 invenio *Neptalim Neptuim Capturim Iepthe Sarepta Nepthoa*, sed *Iephtael* et Chronicorum initio *Nephtuim Caphtorim*.

6) 'Des gemeynen Brauchs der Kyrchen', 'nach alter Weyss', 'der jetzund gewöhnlichen Lection' et similia occurrunt in praefatione excusatoria.

7) Ed. anni 1550 Gen. 30, 8. 46, 24. 49, 21. Exod. 1, 4. Num. 1, 15. 42. 43. 2, 29. 7, 78. 10, 27. 26, 48. Matth. 4, 13. 15. Apoc. 7, 6 *Nept(h)ali(m)*. Num. 26, 50. 34, 28 *Nepht(h)alim*. In ed. anni 1594 *Nepht(h)alim* occupavit etiam Gen. 46, 24. Num. 26, 48. Matth. 4, 13. 15.

Addi licet Psalterii quamquam non Hieronymianam versionem refert interpretationes theod. angl. gall. hispan.: 67, 28 *Neptalim* Psalm. anglosax. ed. Thorpe 161. Graff Deutsche Interlinearvers. der Psalmen 305. Trebnitzer Psalmen ed. Pietsch 52. Walther Die deutsche Bibelübersetz. des Mittelalters II 231 sqq.; vidi praeterea in bybliotheca Marpurgensi psalterii exemplum Augustanum a. 1492 (Walther l. l. I 123 sq.), Basileense a. 1503 (et 1561, ib. III 611) [1]), hispanum sine loco et anno: quae omnia de *pt* in *Neptalim* conspirant. Idem cadit in versiones gallicas: Psautier de Metz ed. Bonnardot 188, Lothring. Psalter ed. Apfelstedt 67.

Primus qui *Nephthalim* novare ausus sit videtur fuisse Iacobus Faber Stapulensis cuius viri humanitatis studiis faventis neque graecae linguae ignari [2]) opera 'Quincuplex psalterium' a. 1509 editum est (Psalterium iuxta Hebraeos Hieronymi recogn. de Lagarde p. V): ubi 67, 30 *Nephthalim* legitur quinquiens repetitum. Quod receptum video in Bibliorum versionem gallicam a. 1535, deinde in multa alia exempla, ut saeculo exeunte cum pontifex *Nephthali Iephte* simm. sua auctoritate in futurum sanciret nihil aliud fecerit quam probaverit quasi edicto quod pridem in hominum consuetudinem abire inceperat abolito vetustiore illo pronuntiandi more quem medii aevi fuisse et ipsius Hieronymi demonstrasse mihi videor.

10. Duplicis aspirationis confragositatem qui in *naptha Nepthalim Iepthe* tamquam scopulum effugeret eundem Hieronymum admisisse in artis grammaticae vocabulo quod est *diphthongos* credi potest nullo modo. Neque credere invitos cogit memoria codicum, quippe qui in libro interpretationis hebraicorum nominum 38, 28 de Lag. de ea fere forma inter se consentiant quam vere Hieronymianam fuisse ex illis *naptha Nepthalim* necessario colligimus, *diptongos* cui tamen ut evadat qualem ipse auctor litteris consignavit post dentalem aspiratio addenda est. Nec licet opinari in hac re sHieronymum, qui a Donato institutus se ipsum 'philosophum rhetorem grammaticum dialecticum Hebraeum Graecum Latinum trilinguem' praedicaverit nec semel ipse re egerit grammaticum, discessisse a scholae consuetudine erudita et volgarem potius plebeculae usum secutum esse. Grammaticis inde efficitur iam tunc placuisse graecas aspiratas *φθ* latine in *pth* vertere. Quod demonstrari potest ratione indubitabili.

Qui saeculo decimo vel tempore deinceps insequente vocabula graeca latinis litteris redderent pro *φθ* scripsisse fere *pht(h)* aut *ft(h)* quibus Graecorum mos consonas proferendi (dicunt enim illi et iam tunc pridem consuerant dicere *diftongos nafta*) exprimeretur docent Matthaei Silvatici usus de quo supra p. VII exposui et exempla symboli apostolici graece sed latinis litteris ita ut Byzantinorum pronuntiationem referrent scripta quae Caspari denuo tractavit [3]); in his enim occurrit *sillifthenta* (cod. Sangall. s. X) vel *siliftenta* vel *sullefthunta* pro *συλληφθέντα*.

Eundem morem observamus in Psalterio graecolatino Bambergensi quod item in monasterio sGalli iussu Salemonis episcopi exaratum est [4]): 6, 8. 17, 28 [5]) *oftalmus*. Quamquam non desunt diversi

---

1) In duobus tantum exemplis deprehendi *Nephtalim* noto transpositionis errore ortum. Graff l. l. et Walther II 233.

2) Cf. Despauterii iudicium apud Baebler Beitr. zu einer Geschichte der lateinischen Grammatik im Mittelalter 146.

3) Ungedruckte, unbeachtete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel III (Christianiae 1875) 11. 20.

4) Psalterium iuxta Hebraeos Hieronymi ed. de Lagarde p. IV.

5) Psalterii Graeci quinquagena prima ed. de Lagarde qui tamen de usu orthographico verborum solito fuit parcior. Qui codicem ex graeco exemplo transscriberet rectae vocabulorum pronuntiationis ignarum fuisse certum est: litteras graecas singulas singulis latinis de sententia securus reddidit modo sonum (non totius vocis, sed singularum litterarum) exprimens (cf. 34, 4 *iidocisas* = *ηὐδόκησας*, 29, 2 *iyfranas* = *ηὔφρανας*, 44, 9 *iyfranan* = *ηὔφρανεν*, quamquam Graeci in his *υ* alia prorsus ratione ecferunt), modo apicum potius similitudinem (24, 17. 29, 8 *anagcon*, 49, 8 *elegso* = *ἐλέγξω*).

usus quem mox vetustiorem esse cognoscemus exempla velut 9, 16 *diaphora sinelipthi*, 17 *sinelimpthi*[1]), 31, 1 *epecalipthisan*. Similem inconstantiam saepe deprehendimus in glossariis et hermeneumatis. Codices Monacenses duodecimo saeculo ex eodem vel persimili archetypo descripti habent *fthois* CGL. III 184, 69, *ft(h)oneros ft(h)onos ft(h)oreis* (i. e. *corruptor*) 162, 5 sqq. (*fiono* = φϑονῶ 71) iuxta *pthinoporon* (unde depravatum alterius exempli *phtinoporon*) 169, 29, *ptoreis* (i. e. *corruptor*) 179, 7, *monoptalmus* 181, 12, *epton* (i. e. *coctum*) 183, 54 sq., *dipthera* (unde in altero exemplo corruptum *diphtera*) 194, 17, *optalmicos* (cuius loco in archetypo fuerit *opthalmicos*, unde alterius *ophphalmicos* originem duxisse videtur) 205, 52[2]).

Glossae Vaticanae (saec. X) III 514, 31 *diftra* [= διφϑρα Montepess. 297, 18], 45 *difterai*. 519, 14 *egeroftalmos* [= ἐγερόφϑαλμος Montepess. 330, 7][3]); contraria ratione 514, 39 *dyptongum*, 52 *dieptarmenos*.

Hermen. Amplon. (saec. IX) III 72, 12 *afthoros*. 80, 34. 50 sqq. *ftyrizo fthoreus fthono fthonos*. 85, 34 *ofthalmoe*, 36 *enofthalmoes*. 90, 22 *fhityr* (i. e. *pediculus*) — 83, 29 *pthinoporos*[4]).

Inaequalitatis scribendi cuius exempla modo proposui facillime expedieris rationem, si in scholis olim hanc legem traditam, sed oblivione paullatim gliscente obscurari coeptam esse conieceris, ut si quae graeca vocabula latinis litteris perscribenda essent graeco φ latinum *f* (*ph*.) graecis tamen φϑ latina *pth* substituerentur. Nam in hac discrepantia quae manifesta ratione carere videbatur imperiti librarii (et cum imperitis rem nobis esse in notis docui) vix sibi cavere poterant ne quod in φ non coniuncto scribendi lex postularet etiam ad coniunctas aspiratas φϑ male sed proclivi transferrent errore.

Legem quam dico non meo arbitrio finxi, sed accurate observari vidi in aliquot glossariis bilinguibus quae graeca latinis litteris perscripta exhibent.

Huc enim rettulerim quod in glossis Bernensibus leguntur *dieptarmenus egeroptamus epton melanoptalmus*[5]), in fragmentis Bruxellensibus *ofries blefara obtalmi* (quae tria vocabula sese excipiunt sine intervallo) *epthon*[6]), in glossis Leidensibus *epempthesan epempthe opthalmoe*[7]) nullo refragante discrepantis scripturae exemplo. Quamquam in locorum paucitate si quis casu hoc factum esse praetulerit

1) *synelemte* enotavit de Lagarde 9, 16. 17 ex Veronensi graecolatino qui sexti saeculi dicitur. De cuius usu orthographico quod parum constat valde dolendum. Editione Blanchiniana uti in huiusmodi quaestionibus omnino non licet. The old testament in Greek ed. by Swete II p. X.

2) Secludere visum est quae aliqua parte dubia sint, *ophtalmi* (quod ex *opthalmi* detortum facile conicias) 174, 66, *ethyr* (i. e. *pediculus*) 188, 56, *asthoros disteras eston* 124, 33. 136, 14. 141, 4. In archetypo 205, 48. 207, 23 fuisse videntur *diphera phisico* ex *dipthera pthisico* noto errore orta.

3) Quamquam in hoc libro tenendum saepius *p* corrumpi in *f*: 508, 47 *apo tu flistu*. 509, 4 *artoefetes* (supra p. VI). 514, 37 *difnon*. 516, 5 *efracte* i. e. ἐπράχϑη. 517, 64 *enfricos* i. e. ἔμπροιχος. *s* pro *p* aut *f* habes 530, 57 *melanostalinos*. — Librarius graecae linguae adeo ignarus erat ut errores perspectu facillimos cum fide propagaret, *ΕΠΙΟΥΜΟΥΝΤΑΣ* 515, 47 (recte *epitymoynta* 57) *ΕΣΠΑ* 518, 78 (i. e. ἑστία) *ΕΡΕΓΑΛΟΣ* 517, 43 (i. e. ἐρεγμός) *ΦΟΙΝΟΠΩΡΙΝΗ* 517, 1. In corruptelis convenit ei saepius cum hermeneumatis Montepessulanis.

4) Scriba et ipse graecae linguae imperitus: 84, 44 *exeppon* i. e. ἐξάιππον. 76, 47 *kaepto* i. e. *ΚΑΕΠΤΩ* pro *ΚΛΕΠΤΩ*.

5) III 492, 28. 493, 44. 494, 41. 500, 19. Codex qui est saeculi XIII i pendet ex archetypo graeco saepius isdem prorsus corruptelis laborante quas in Montepessul. et Vatic. deprehendimus (*espa* 493, 33, *egeroptamus* 44. Cf. 499, 6 cum 319, 12).

6) III 394, 32 sqq. 398, 12 (quod v. 13 sequitur *eptimenon* ex ἠρτυμένον corruptum est, cf. 364, 11). Codex saeculi X i foedissimis erroribus scatet, *f* pro π scriptum 394, 27. 395, 66, *p* pro φ in *pate* = φακῇ 396, 59.

7) III 411, 25. 27. 413, 24. Cod. saec. VIII/IX.

suspicari, de his glossariis cum illo non expostulabo, sed alios iam testes excitabo locupletiores quorum fidem in dubium vocare non par sit.

Codicis Parisini nono saeculo scripti qui 'Philoxeni' glossas latinograecas continet margini ab ipso librario sat multa vocabula graeca cum interpretatione latina addita sunt. Quae longe maximam partem ex glossarii interpretamentis graecis in usum ut videtur discentium sic iterata sunt, ut in locum litteraturae graecae succederet latina. Pro φ scribitur in 5 vocibus *ph*, in 23 *f*, in nulla *p* nisi bis in nomine *ptisicus* CGL. II 194, 41. 207, 46.

Servii grammatici quae dicuntur glossae et ipsae latinograecae a Goetzio ex codice saeculi XII i editae sunt. Ubi graeca latinis litteris reddita. Semel vel bis aspiratae φ vicem tenet *ph*, amplius 100 iens consona *f*, contra aspiratio detrahitur his: *pthinoporon* II 514, 34. *pthonos* 519, 4. *pthirismos* (i. e. *peduculatio*) 520, 3. *pthora* 532, 15. *pthisis* 533, 10 (antecedit proximo versu *tafros*)[1]). In aliis *p* pro φ locum non habet, nisi quod 528, 53. 529, 4 vocabulis *spodrotis spendam(n)os* (quibus accedit fortasse 520, 29 *spongos*) pronuntiationis latinae indoles ab *s* et *f* inter se iungendis abhorrens aspirationem dempsit[2]). Vide quae I p. XXV 5. II pp. VII. X 3. XI ex Matthaeo Silvatico Reuchlini Breviloquo Tortellio Pontano monuimus de *spaera* ('*sphera* quam multi detracta aspiratione *spera* dicunt' Georg. Valla) *Spinx*[3]) *aspaltus*[4]) quibus ut simile adiungendum *spalangius -io*[5]) (pro *sphalangius*)[6]).

1) 510, 33 *compressus· fthodora* ad desperationem corrupta sunt quibus tuto non liceat uti.

2) Quamquam in plerisque quae huc pertinent *f* permansit, *sfera sfragis sfundulos* aliis. — Idem quod de *spodrotes* iudicandum de *speropectis spigmos* in herm. Monac. CGL. III 172, 45. 175, 63 obviis.

3) Conradus Megenbergensis librum scripserat 'von der gestalt der werlt, und haizet die deutsch Spera' 68, 22. Quam formam Italorum usus ne hodie quidem dereliquit. Superioribus saeculis etiam Gallos *spere espere* dixisse notavit Du Cange in Glossario. Theod. *die sper* legi in Wenceslai Brack Vocabulario rerum fol. 3a [Joh. Mueller Quellenschr. 206, 34]; Vocab. optim. ed. Wackernagel habet latinum *spera* pp. 55. 58. In libris haud raro invenitur, v. e. g. Anth. lat. ed. Riese I 1 nr. 761, 20. 38. Isid. de nat. rerum ed. Becker 26, 12. 15. 27, 5. 6. Cruindm. 6, 29. GL. VII 235, 27. CGL. IV 284, 27, *semisperia spera* Steinmeyer-Sievers II 13, 11. 205, 13. 215, 59. 254, 45. Wright-Wuelcker I 426, 25. 502, 20. 612, 47. 663, 40. 140, 7. Sed exempla coacervare non tanti est; vetustissima supra p. XIII 7 adscripsi. — *Spinx* legitur CIL. III s. 10914. Sen. Phoen. 422. Oed. 92. 246. 641 in E (*Sphinx* Phoen. 120. 138. Oed. 105). Quint. inst. VI 3, 98. *spinx* (ex Prisc. instit. 167, 1) Steinmeyer-Sievers II 375, 37. 377, 54. 378, 26. 379, 41. 380, 6 (nec tamen desunt exempla scripturae *sphinx* 376, 40 alias). *spingae* vel *spinges* Isidor. or. 20, 11, 3, Scheler Lexicogr. 136 n. 28 ('lits ornés de sphinx').

4) Conrad. Megenberg. 482, 22: 'ain sê in dem land India, der haizt *Aspaltides*' (Vocab. optim. habet *aspaltum* p. 54), *aspaltus* Oribas. VI 271. 397. 438. 504. 608. GL. VII 262, 11. CGL. III 543, 59. 549, 16. Alph. 15. Sin. Barth. 12. 13 (s. *butimen*). *asphaltrus* Gregor. Turon. mart. 16 p. 499, 9 sq. > *spaltrus* CGL. III 608, 56 > anglosaxon. *spald(u)r* gloss. Epin. ed. Sweet 2 A 36. CGL. V 340, 23. Pogatscher Lehnw. im Altengl. 117. 147.

5) *spalangio* (semel minus recte *palangio* scriptum) Pelagon. ed. Ihm p. 22 ex. Cass. Fel. ed. Rose 166, 18. *spalongea* Alph. 164 (cf. *sperule* 168). *spala(n)gion· musca venenosa* gl. Epin. 23 E 40. CGL. V 390, 22. Saepe *spalangio* (gen. *-ionis*) legitur in herbario anglosax. quod Cockayne Leechdoms vol. I edidit (*spalangius* Wright-Wuelcker I 122, 17). Cf. praeterea Du Cange s. v. *spalangius* et Diefenbachii Glossaria s. vv. *aspaltum spera spericus sperula spalangius Spinx*.

6) *sfalangius* Steinmeyer-Sievers II 739, 39. CGL. IV 171, 11 (ubi v. l. *spalangius*). *sfalangium* Iul. Val. ed. Kuebler 111, 6. Chron. min. I 544 Mo. (ubi *sfalagia*). *sphalangio* in Firm. Mat. ed. princ., v. Sittl Archiv f. lat. Lexikogr. IV 608. Hinc nom. propr. *Sfalangius* CIL. VI 1672 *a. b* (s. IV). Accurate respondet neogr. σφαλάγγι. Ne *spalangius Spinx* cum *stropa ampora* similibus componas neve ex vetustissima linguae latinae consuetudine ab omni aspiratione aliena opineris retenta, moneo alterius nominis vetustam formam graecam fuisse φαλάγγιον, alterius vetustam latinam *Pix* (Fleckeisen in suis annal. 143 (1891), 661). — Quibusdam dialectis neograecis in hac re cum latina pro-

Glossas Servii ex codice multo vetustiore qui iam litteras graecas latinis mutarit originem ducere demonstratum est glossis quas Petschenig in codice saeculi octavi invenit [1]): inter quas ratione paullo vetustiore sed ita ut eandem inter *φ* et *φϑ* (*σφ*) discrepantiam prodant exaratae leguntur *nephos phone filargia graphion lophus* : *pthirismos* (*spongos*) [2]).

Quem transscribendi morem etiam quarto post Christum natum saeculo in ludis pueros didicisse coniecerim ex glossarìoli vetustissimi fragmento papyraceo quod cum egregie illustraret olim Buecheleri [3]) acumen et eruditio, mihi tamen vir doctissimus de aspiratis minus recte videtur indicavisse. Quod enim iuxta *adelfos cefalen sifrin* (= *δίφριον*) scribitur *optalmos* non corrupto loquendi genere, sed ex legitimo scholarum usu admissum puto a quo eum qui scripserit non plane fuisse alienum consentaneum sit, quamvis fuerit indoctus et imperitus attamen illum litterarum arte quadam tenus imbutum.

11. Grammaticos *pth* pro *φϑ* substituendum praecepisse ut evincerem, non tam longis inquirendi ambagibus taediosisque anfractibus disputandi opus fuit, si grammaticorum editoribus de scripturae varietate orthographica referre satis plene et accurate placuisset. At quia est editoribus fere in his mos abiciendi quae ipsis inutilia videntur: si commentandi initium hinc sumpsissem quod in grammaticorum codicibus aut semper aut longe plerisque locis scripta extare *dipt(h)ongos hept(h)emimeres* contenderem, vix unum habuissem meae sententiae adstipulantem. Sed postquam multa causae quam ago quasi praemunivi spes est etiam alios mecum existimaturos esse, si forte in libris accurate excussis et bene notis observatum sit fere legi *dipt(h)ongos hept(h)emimeres* vel similia, idem valere de omnibus. Atqui certum est — si ab uno grammatico discesseris ad quem postea nobis redeundum erit —, sicubi editor codicum lectiones cum cura adscripserit nec delectum egerit arbitrario, tanto ubique testium consensu de formis illis constare, ut ad ipsos auctores referre vix dubites.

Monui iam de Hieronymo p. XIX, addo ex Eucherii codice saeculi sexti (p. 553 Pitra) *per diptongon*. Charisii codex vetustissimus (s. VII/VIII) habet GL. I 12, 12 *dypthongos*, 14, 21 *dipthongos*. De *dypt(h)ongos* (terminationem variantem non curo) consentiunt libri unde Eyssenhardt Martianum Capellam edidit pp. 68, 26; 69, 7. 8. 21. 23; 71, 9. 17; 75, 6; accedunt *enneapthongos* 19, 22, *pt(h)ongus* 49, 12; 353, 20. 21. 24. 28; 355, 27 (*ptongon* gen. plur.); uno loco 46, 6 a B *pthongis* exhibente discrepat R in quo noto corruptelae genere *phtongis* scribitur. Plurima exempla adicienda ex Anecdotis Helveticis quae Hagen diligentissime adnotavit: *dipt(h)ongos* vel *dypt(h)ongos* (*-us -a*) [4]) legitur pp. XIX 34. XLI 5. C s. v. *οἰκουμένη*. CXXXV 13. CXL 24. 25. 26. 32. CXCIII 4 (‘*diptongon, semper*’ editor) cett. CXCVIII 22. CXCIX 1 (bis). 33. CC 25. CCI 30. 39. CCXXIII 5. pp. 4, 26 5, 2. 3. 5. 8. 21 91, 3 92, 1

---

nuntiatione ita convenit (*σπαλάγγι* Foy Lautsystem 74. Hatzidakis Einleit. 162. 442), ut merito dubites quid statuendum sit de forma *ἄσπαλτος* CGL. II 546, 58 (cod. Neapol.). Similis dubitatio cadit in *spigoma* (= *sfigoma*) Morosi dial. gr. della Terra d'Otranto 167 b.

1) Wien. Stud. V 160 ubi tam inepte editae sunt ut quid in codice legatur saepius ambiguus haereas.

2) Goetz CGL. II p. XXXVII.

3) Fleckeisens Jahrb. CXI 309 sq. — CGL. II 563, 22. 25. 28. 30.

4) Alexandro Gallo *dipthongus* nomen in *-us* desinens feminini generis est (Doctrin. v. 658). In eadem sententia est interpolator GL. IV 423, 29. Hinc inde generi videtur medii aevi temporibus nominis forma accommodata esse: unde evasit *dipthonga* haud ita raro obvium. Sed grammatici vetustiores in vocabulo graeco potius probarunt exitum graecum, praesertim in nom. acc. sg. (nec tamen desunt pluralis exempla, *dipthongoe* GL. VI 26, 27. 241, 36). Primo loco quo in artibus *dipthongorum* mentio fit addi solent haec: ‘quas (sc. vocales s. syllabas) Graeci *dipthongos* vocant’. Nec casu factum ut vetustissimus huius nominis inter Latinos testis graecis litteris utatur: ‘est enim (sc. syllaba) quam Graeci dicunt *δίφϑογγος*’ Vel. Long. VII 80, 15. Vocabulum antiquis semper peregrinum quiddam sonabat neque erat ut alia multa ex Graecia petita civitate Romana legitime donatum.

93, 27 94, 28. 32 97, 13 99, 5 117, 6 [*digtongon* sic] 132, 2. 16 [1]) 147, 6 [∾ Keil GL. IV 496, 28 ubi sine nota *diphthongus*] 152, 19 189, 3 [‘*diptongon vel dyptongon semper*’ editor, sc. in Vergilii fragmentis] 215, 1 226, 14 [*dyptongum*, *ptongus*] 235, 13 237, 9 [*diptongon*: in margine *diphthongon*] 293, 17 [= Thurot Not. et Extr. XXII 2, 522_{11} ex alio codice] 294, 1 [= Thurot l. l. 522_{17}] 292, 21 (ex duobus codicibus: ‘*dyptongon semper*’ editor unde idem legi 294, 20 consequitur) 292, 6 [= Thurot l. l. 521_{33}, ex tribus codd.]. *diphthongon* sine nota admittitur duobus tantum locis 298, 31 299, 8 in Orthographia Einsidlensi unde 298, 11 *d p t gon* Hagen enotavit: ubi opinor errore omissum esse editoris ‘*semper*’. — p. CLXXIII 15 legitur *eptimemeris* quod recurrit paullo magis corruptum CCII 1 *cisuris pentimemere exceptimere* [= Keil GL. IV 480, 1 ubi *et eptimemire* (*-mimerae*) in libris]. In Cruindmeli arte metrica Huemer qui in praefatione sese non plenam varietatem orthographicam propositurum esse dixit tam saepe ex libris lectionem *dipthongus* in commentarium criticum rettulit [2]), ut vocabulum omnibus locis sic fere in codicibus scriptum extare facile tibi persuadeas, in Vergilii grammatici editione idem Huemer testium consensu et constantia victus *diptongus* inter ipsa verba scriptoris recepit (9, 6 11, 9 114, 2 115, 10 (bis)), id quod etiam in nova Cruindmeli recognitione eum facturum esse indicat nota Vergilio p. 9, 3 adscripta.

De Prisciano me accuratiora edocuit Juerges. Hertz cum multis aliis se etiam *diphthongus* tacita correctione grammatico restituisse ipse testatur praef. p. XXXIII. Libros manu scriptos tamen fere de *pt(h)* consentire hinc consectarium est, quod sicubi editor ex codicibus variam lectionem apposuit longe plerumque illud emergit, v. ad I 7, 21 24, 15 27, 21 28, 2 37, 10 40, 10 51, 13 65, 19 66, 13 67, 12 74, 3 77, 16 169, 4 192, 24 204, 9 240, 10 272, 14 275, 17 454, 24 456, 20 461, 19 (semel in his *diphtongus* K 38, 7, semel *dyphthongo* H 70, 10). I 37, 14 *pt(h)ongus* in omnibus esse nota indicat. In codice Upsal. (s. XIIi) ‘*diptongon* vel similiter semper’ scribi auctor est Nilén in Priscianeis 8 (diss. Upsal. 1884); ex Halberstadiensi H multo vetustiore Hertzberg (Archiv für Philologie und Paedagogik VII 246) ad Prisc. l. VI 1, 2 adnotavit ‘*dipthongum, sic plerumque*’. In fragmentis Goslar. quae Juerges tractavit (Sammlung bibliothekswiss. Arb. ed. C. Dziatzko fasc. VI) bis *dipt* abbreviatum invenitur.

Neque aliter res se habere in libris ad quorum fidem Keil grammaticos latinos edidit mihi persuasum est. Receptas semper vidi in contextum formas *diphthongus hephthemimeres*, sed persaepe notae dissensum librorum indicant. Ut praetermittam Charisium quo de iam verba me fecisse memini, conferas Diomed. I 427, 14. 20. 21 429, 10 (474, 25 *ptongus* : *thongos* : *phongos*, i. e. graece *pthongus* acc. pl.), Serv. Honor. IV 449, 10 452, 28, Serg. 479, 14, [Serg.] 520, 28 521, 1, [Max. Victor.] VI 229, 16 233, 13 239, 17 241, 36, Mall. Theodor. 586, 25, Martyr. VII 169, 4, Cassiod. 190, 12, Bed. 236, 15, Albin. 306, 27 308, 16. Unum tantum inveni locum ubi *diphthongos* ex libris diserto editoris testimonio laudatur Bed. VII 273, 5 [3]), ceteris omnibus quos recensui *dipthongos* vel simile quid in codicibus inest. Addas *eptimemeres* (*-is*) GL. IV 480, 1 523, 11. 13. 16. VI 240, 2. 3. 5 638, 6. VII 333, 4. 9 [4]). Nec quicquam

---

1) *e dyptongos* libri habent, Hagen correxit *ae diphthongus* quod falsum esse evincunt quae supra p. IV 5 ex Alexandro Nequam de *e dipthongo* attulimus.

2) p. 3, 2 ubi additur ‘*passim*’ 4, 6 7, 19. 26 ubi adicitur ‘*ut saepe*’ 8, 9. 16 ubi in contextum admissum 13, 21 15, 27 16, 3. — 4, 30 ‘Sed hoc sciendum, quod non saepe invenimus duas mutas nulla alia littera intercedente in principio partis orationis nisi in paucis, ut *bdellium* legitur, *ptongon* et rel.’; 8, 14 *tongos* E, *ptongos* F, unde *pthongos* auctori restituendum. — 34, 31 *eptimemerin* E ‘*passim*’, *eptimemerim* F. 35, 12 *eptimemeris* EF (in quo vocabulo F desinit); ‘*passim*’ illo addito edocemur *eptimemeris* etiam 35, 15. 17 in E legi. Eadem forma recurrit in libris 38, 4. — Ex *eptimemeris* *p* consona inepte translata videtur in *bucoliceptome* quod legitur 35, 23 38, 9. GL. VI 240, 3. 8. VII 246, 4. 13 333, 4.

3) Quae VI 233, 13 (= An. gramm. 461, 66). IV 457, 10 ex Parisino afferuntur *difthongo efthimimeres* corrupta aut a sciolo correcta esse ex *dipth. epth.* fidem faciunt ceterorum librorum testimonia qui habent *dipthongo eptemimeres*. Cf. IV 523, 19 *estimere* (ex *eptemimere* ib. v. 11 et 15). Similes corruptelas supra habuimus in nominibus sacris pag. XVII 1.

4) Forma *heptimemeris* vel in editiones impressas transiit, quandoquidem philologi vocabuli rationem initio parum perspexerant (cf. quae dixi de Pontano p. XI 4). Anal. gramm. 469, 68. 479, 4

posse ex silentio colligi quo editori longe plerisque locis placuit librorum scripturas opprimere ego expertus scio. Ut enim de commentarii Keiliani in rebus orthographicis fide mihi constaret iudicium, in comparationem vocavi Eichenfeldii et Endlicheri Analecta grammatica atque Gaisfordii Scriptores latinos rei metricae. Keil dedit Mar. Plot. VI 442, 27 *diphthongo* sine nota, at Anal. gr. 20, 33 *diphtongo* (quod ex *dipthongo* saepius ortum esse supra vidimus), similiter 471, 4 472, 20 *diphthongo* : 47, 3 49, 13 *dipthongo*, 480, 5 *diphthongo* (quamquam 3. 4. 7. 8 quater *naptas*) : 57, 59 *diphtongo*, Macrob. V 601, 26. 27 602, 1 633, 20 *diphthongum* : Anal. 189, 19. 22. 24 192, 53 *dypt(h)ongum* (194, 6 *diptongon*). [Max. Vict.] VI 230, 6 *diphthongos* : 456, 48 *dypthongos diptongus* (idem cadit in VI 230, 17 : 457, 67. Serg. IV 478, 17 : 477, 65. Serv. IV 451, 9. 10 : 493, 87. 88. IV 452, 28 : 496, 72. IV 455, 7 : 500, 83. — GL. VI 623, 15 *hephthemimeres* sine nota : An. gr. 519, 43 *eptemmemeres*)[1]). Talia igitur adnotare Keilio visum est inutilis diligentiae[2]) (v. quae V 597 multisque aliis locis in eandem sententiam libris edendis praefatus sit).

Quo factum ut etiam in Mario Victorino refugiendum sit ad Gaisfordi apparatum in prioribus capitibus[3]) pleniorem et accuratiorem. GL. VI 26, 27 27, 14 Keil lectiones *dypt(h)ongoe dipthongon*[4]), 65, 9 70, 22 128, 25 (cf. etiam ad 120, 21) *(h)epthemimeres* adnotavit, sed 26, 26 66, 25 67, 3 (ubi *diphthongos* dedit) 65, 22. 30 al. (ubi *hephthemimeres*) nihil monuit legentes de librorum scriptura, quamquam ex Gaisfordii ed. p. 29. 87. 89 certe de Parisino *diptongon epthemimeres* exhibente constat. Quas formas aspiratione ex parte orbatas quas Keil ne nota quidem dignas censuerit non librariis deberi, sed ab ipso auctore profectas esse invicto argumento demonstrari potest.

Artis Marii Victorini in qua codicum memoria compluribus locis de formis *dipthongos hepthemimeres* constare vidimus libro quarto subscripta sunt haec: *Aelii Festi Apthonii de metris omnibus explicit lib. IIII.* Conspirant codex uterque saeculo nono manu exaratus de nomine *Apthonii* quem Mario Victorino artem compilanti principalem auctorem fuisse apparet. Hanc nominis formam unice legitimam esse si contigerit ut probemus, simul

---

adnotant Eichenfeld-Endlicher *heptimemeris* legi in Parrhasii editione a. 1504, qui tamen ubique *diphthongus* dedisse videtur. Eandem inconstantiam scribendi admisit Reuchlin in Breviloquo s. *diphthongus* et *hepthemimeris*.

1) Nihil subscripsit varietatis Keil V 482, 3 vocabulo *diphthongon*. In duobus codicibus Einsidlensibus a Keilio editioni suae non adhibitis *diptongon* legi testatur qui illos accurate excussit Hagen An. Helv. LVII. Hinc quovis pignore spoponderim etiam in iis libris quorum ope Keil Eutychis artem edidit *diptongon* vel simile quid extare. Idem iudico de GL. V 115, 12 ∞ An. Helv. CLXXXVII 7.

2) Eundem se gessit Serviani in Vergilium commentarii editor Thilo. Inter varias lectiones formam *dipt(h)ongos* saepe comparere indicavit Juerges: Aen. III 85 p. 355, 22. 386 p. 411, 8. IV 82 p. 478, 18. V 69 p. 599, 10. 826 p. 652, 16 (*diphtongus diptongus dipthongos dyptongus*). VI 179 p. 36, 24. X 24 p. 387, 6, uno loco V 69 p. 599, 12 ex solo N enotari *diphthongon*, ex quinque aliis *di(y)ptongo*, plerumque de forma *diphthongos* in contextum recepta nihil adnotari (*eptimemeris* XII 144 p. 592, 20). Quae Juerges collegit contulimus cum codice Cassellano benevolentia praefectorum bybliothecae intercedente comiter Roedigero huc transmisso: omnibus locis ubi codex ille lacunis mutilatus non deficit legimus *diptongos* vel *diptongus*, Aen. I 535 p. 164, 16. 20 (*-os*). 640 p. 185, 10 (*-us*). III 226 p. 382, 14. 354 p. 405, 8 (*-os*). V 117 p. 606, 24 (*-us*). Quorum locorum nulli quicquam varietatis ab editore subscriptum, ut si silentio crederes fide omnium codicum geminatam aspirationem in *diphthongos* praestari, immane quantum aberrares a vero. — In Placidi glossario tradita esse *diptongo monoptonga* s. *monotonga* Goetzii demum accurata opera apparuit (CGL. V 3, 9. 45, 10).

3) 'In reliquis ea quae ad orthographiam spectent fere se neglexisse' Gaisford ipse dicit praef. p. V. Unde explicandum quod pp. 106. 157. 175 sq. cum Keilio 79, 20. 114, 19. 120, 12. 121, 16. 26 de scriptura *hephthemimeres* consentiunt (106 ex Par. *hephthemimeren* affertur cui nihil credo, 187 *ephthemimeren* quod fortasse ex *hepthemimeren* errore ortum).

4) Vide etiam quae Keil in praef. p. VIII ex cod. fol. 71 sqq. attulit: *dipthongis*.

actum erit de illis *diphthongus hephthemimeres* quas sollemni medii aevi consuetudine deserta Italis ducibus hodie omnes pro vere latinis venditare solent.

12. Atqui Victorini auctorem omnino non potuisse *Aphthonium* vocitari fidem facit titulorum memoria. Quamquam enim multa ex lapidibus collegi exempla nominum in quorum archetypis graecis insunt contigua φ et ϑ, tamen ne unum quidem inveni quod *phth* exhiberet[1]). Novi ternos *Apthonos*[2]) *Apthonetos*[3]) *Melipthongos*[4]) *Pthongos*[5]), quattuor *Apthoros*[6]), *Pthengidas* duas[7]), singulos *Apthonium Aptonetum Meliptongum*[8]), quibus accedit *C. Bellicus Apthon* . . . de cuius cognomine non constat[9]). Quorum ex titulis ad Traiani aevum pertinet VIII 940, ad Claudii VI 5011. 5071. 6256. Bilinguis est cum tanta accuratione scriptus V 735 = IGSI. 2341 ut de errore orthographico cogitare prorsus illicitum sit: *Apthoneto fratri Theodori filio Achillaeus pater.* Bormannus igitur aperte falsus est, cum ad XI 3712 nuper adnotaret: 'intellige *Melip(h)t(h)ong(um)*'. Immo potius *Melipthongum.* Illa enim scribendi ratio exemplis omnino non potest defendi.

Quaestioni hucusque perductae felicissime quasi τὸν κολοφῶν' ἐπέϑηκε Wissowa de Actis ludorum saecularium Augusti in tempore admonens ubi *pthoibus*[10]) legeretur vel quater repetitum. Quo de vocabulo Mommsen haec: '*pthois* v. 118. 140. 142. 145 substituta tenui pro aspirata Graecorum [φϑόις]. Tuentur igitur Acta quod habent libri Ciceronis Tuscul. 1, 10, 21 *Pthiotam senem* et Vergil. Aen. 1, 283 *Pthiam* similiaque'.

13. Talia ne ex vetustiore illa notissima pronuntiandi scribendique consuetudine retenta opineris[11]), cautum est grammaticorum medicorum Scripturae interpretum usu qui *dipthongos* et *apostrophos*, *opthalmia* et *atrophia*, *Nepthalim* et *Ephrem*, *Iepthae* et *Iafeth* iuxta probarunt. Accedit quod alteri consonae locis longe plerisque *h* adiectum est quod

---

1) Brandis De aspirat. lat. 1: 'In quibus dentalis aspirata sequitur φ litteram, ea vocabula saepe per *pth* non per *phth* scribuntur' (tribus appositis exemplis). Quae recte demum habebunt, vocabulo 'saepe' si substitueris 'semper'.

2) CIL. VI 6256. 12240. 20860.

3) VI 7724. V 735 (= IGSI. 2341). XII 408.

4) VI 2340. 5071. 6171.

5) VI 5011. XII 3354. *Pthoncus* Ndscavi 1887, 77 nr. 6.

6) VI 7581 (bis). 13019 sq. 19850. APILIORVS i. e. *Apthorus* 9915.

7) XII 510. XIV 309.

8) IX 6078, 36. — IV 1474. — XI 3712.

9) VIII 940. — Quibus exemplis nonnulla addenda esse ex Corporis vol. sexto memini: quae tamen in tempore notare omisi.

10) Ephem. epigr. VIII p. 262. 273 s. v. *pthois*.

11) quae erat Brandisii sententia l. l. Idem omnia exempla *p* pro *ph* exhibentia ad hunc vetustum scribendi morem revocanda esse sibi inmerito persuasit. Neque enim raro *h* mero errore omissum esse luculento documento palimpsestus Vindobonensis demonstrat a Belsheimio editus (Christianiae 1885): pp. 11a 3 *Pinees* 16a 5 *Massepat* 23b ex. *Elipat* quae VTi nomina vix quisquam ex aevi Plautini vel Terentiani usu repetere ausit. Neque aliud statuendum de *penix* et *parmacopula* a Brandisio allatis (cf. CGL. V 374, 15 cum v. l.). Saepe tutius est iudicium cohibere, velut de *copinis* quod cum in palimpsesto Vindobonensi p. 47a 17 occurrat, certo argumento non potest erui, utrum errori debeatur in hoc codice frequenti, an usus volgaris (*cópinus* Groeber Arch. f. lat. Lexikogr. I 551) testimonium sit fide dignum.

ab illa vetustiore consuetudine abhorret. Qui in Plauti fabulas aspirationem intulerunt a poetae aevo prorsus alienam [1]) *optalmiam* quod Plautum scripsisse certum est in *opthalmiam* mutare satis habuere Capt. 850 (cas. rect. *opthalmias* nomen piscis). In Actis ludorum saecularium scribitur *pthois*, sed *chorus theatrum thymelicus Ilithyia.*

Hinc apparet novum aspirandi morem cum a Romanis reciperetur a labiali consona ubicumque dentalis aspirata continuo insequeretur certa esse lege prohibitum: in cuius rationem nunc differo inquirere, hoc loco non de graecae linguae vicissitudinibus quibuscum illa quaestio arctissime coniuncta videtur verba facturus, sed de historia orthographiae latinae.

14. Huic scribendi legi veteres adeo erant adsueti ut nemo grammaticorum de ea disertis verbis praecipere necesse haberet. Econtra recentioribus philologis legis illius exempla, quamvis essent frequentia, adeo mira et prorsus intolerabilia visa sunt, quae (si Rosium exceperis et Helmreichium) [2]) omnes certatim corrigerent et (quod peius est) plerumque alto premerent silentio. Quod Itali olim peccaverant, non potuit nisi ex codicum usu accurate observato emendari, sed conlatores et editores errore Italorum decepti et scribendi more ab illis imperite novato inde a pueris imbuti librarios praetulerunt re incognita corrigere quam testes opinione non praeiudicata audire. Hinc usu venit quod satis memorabile est, ut multi cum alia farragine orthographica consuetudinis unice latinae abicerent testimonia pretiosissima — in his etiam ei qui sese 'diligentia malle quam neglegentia peccare' publice professi sunt — et omnes inter scriptorum verba reciperent quae Romani si ab inferis possent excitari non sine horrore aversaturi essent. Veritati offecit 'Graecorum auctoritas' quae 'librariorum Latinorum ignorantiae praeferenda' esse non semel immerito putabatur [3]): quam 'ignorantiam' si non fastidiose contempsissent editores multo rectius provinciam suam administraturos fuisse nec tam diu errorem manifestum secure propagaturos certum est.

Consulto ad hoc temporis omnes seposui libros latinos qui cum exempla ad nostram quaestionem pertinentia exhibeant nonnulla, tamen in locorum paucitate et fide minus digni possint videri et corruptelis faciliorem praebere occasionem merito existimentur. Nunc par est apponere quae ex illis mihi de industria collecta sunt aut forte oblata: quibus ab eruditioribus alia additum iri habeo pro explorato.

In libris manu scriptis leguntur (ab editoribus tamen improbata) *pthisis* Sen. ep. 91, 5 (ed. Buech. 22, 18) — *p(t)hisis* Gell. IV 2, 4 — *ptisiscentibus* Apoll. Sidon. ep. V 14, 1 (Mon. Germ. auct. antiqu. VIII 87, 20) — *obtalmicus morbus* Cassian. conlat. XXIV 15, 2 (p. 691, 4 Petsch.) — *optomicus* i. e. *opthalmicus* Martial. VIII 74, 1 (quod in Gudiano saeculi XII extare dicitur *ophthalmacus* correctoris est a doctrina graeca non plane alieni) — *pt(h)ongos* Chalc. Tim. 44. Censor. de nat. 25, 10 [4]) — *napta* *apopthegmata* (hinc noto errore corruptum *apophtegmata*) *apot(h)egmata* Cic. de off. I 29, 104 — Amm. Marc. XXIII 6, 16, ex Sallustio petitum *naptas* Prob. GL. IV 29, 4. 8. Mar. Plot. VI 480, 3 sq. 8 sq. (sine nota *naphthas* Keil dedit Prob. 22, 22. 30, 16, sed cum loco respondente Mar. Plot. 481, 20

1) Fleckeisen annal. 143 (1891), 658 sqq.

2) Qua ratione ductus Goetz in Captivis *opthalmiam* reliquerit nescio.

3) Fleckeisen ann. 99 (1869), 657.

4) Jahn l. l. enotavit *ptongon* ex vetustissimo codice D saec. VII, p. 25, 5 ex eodem *thongis*, sine nota dedit 25, 2 *phthongos* quod in ipso codice legi ne temere credas, cf. praef. XVI. Neque quid in cod. R saec. X extet, ego ex editoris silentio effecerim. 23, 17. 18 libri habent graece scriptum φθόγγος (cf. 90, 10. 91, 3 = GL. VI 610, 5. 13 *synenmenon*).

in codice *napthas* scriptum sit, nullus dubito, quin Keil quod a librario peccatum putabat solito oppresserit silentio: Hieronymus (quem *naptha* dixisse novimus) ex Sallustio et ipse nonnulla in commentario in Danihelem c. 3, 46 apposuit ad vocabuli vim et notionem illustrandam. — *Pthia* cum derivatis Cic. Tusc. I 10, 21 (corruptela laborat de div. I 25, 52). Catull. 64, 35. Verg. Aen. I 284 (*Pthiam*, unde Rom. corrupte *Phtiam*). Hor. c. IV 6, 4 (in aliis *Pithius Thius* Keller Epilegg. II 318). Liv. XLII 67 (hinc *Phtiotidis* XXVIII 6) [1]). Mela ed. Frick 37, 18 (*in Pthiotide Pthia:* unde v. 11 traditum *aphthiotis* corruptela deformatum esse consequitur) [2]) — *Eptyrophagi* Mela 26, 2 (ut videtur, cf. Marc. Empir. ed. Helmr. 323, 7 *in eptisana*).

Quamvis non omnia iam conquisita esse quae per litteras latinas dispersa legantur exempla probe sciam, tamen collecta sufficiunt unde in universum hanc observationem valere cognoscamus: sicubi codicum accuratiorem habeamus notitiam emergere fere ex tenebris oblivionis diuturnae lectiones titulorum usui convenientes — quod idem in grammaticorum scripta cadere supra intelleximus [3]). Sed multi sunt loci scriptorum ubi adnotatio critica editorum grammaticum inquirentem plane destituat [4]). Quo pertinere etiam Plinium historiae naturalis auctorem dedecus est, compluriens eum quidem nostro saeculo, sed ita editum, ut eius libris in rebus orthographicis uti omnino non liceat [5]). Adsunt quidem loci haud pauci ubi ex codicibus vel codicum parte enotantur *pthorium* 14, 110 (sic in palimpsesto saec. V/VI), *platyopthalmon* 33, 102, *Adadyoptalmos hyoopthalmos* 37 ind., *aegopthalmos* 37, 187, *triopthalmus* 37, 186, *leucoobthalmos* 37, 171, *zoobthalmon* 25, 160, *pthiroporen* 16, 49 [6]), *pthyisis* (= φθίσις) 26, 38, *napt(h)a* 2, 235. 24, 158. 35, 179 (ubi plerique *napha*), sed cum aliis multis de librorum lectionibus nihil adnotatum sit — quamquam codicibus cum editorum prava consuetudine scribendi non convenire facile tibi persuadeas collata Plinii Secundi quae fertur medicina (lib. II 1 ed. Rose p. 41 sq. ∞ h. n. 24, 28. 28, 230; lib. I 2 p. 12 ∞ h. n. 20, 53) —, de tertio locorum genere ubi *phth* in libris inveniri editorum testimonio constare videtur (4, 29 25, 82. 160) certam sententiam ferre nemo hoc temporis audebit nisi imprudens. Ergo Plinii in his quaestionibus ratio habenda erit nulla, dum futuro aliquando editori placuerit varietatem lectionis et pleniorem adscribere et accuratiorem.

15. Cum *t* et *th* Romanorum usus mox nullo iam discrimine soni consuesset distinguere, consonarum φθ et *pt* in vocabulis latinis eadem fuerunt fata. Hinc intellegitur ratio formarum *dittongo ottalmia ottalmico* in Italorum lingua assimulatione corruptarum (ut enim iuxta *ottalmia* hodie admittatur *oftalmia*, usu venit philologorum errore nobis patefacto: qui extra Italiam multo latius grassatus in nostro et Gallorum sermone etiam vocabulum *diphthongi* alia a genuina forma deflexit). Usus ad assimulationem pronior fuisse videtur in *opth upth* quam in *ipth:* unde explices quod iuxta *dipt(h)ongus tript(h)on-*

1) XLI 22, 6 *Thiotidem* (Schuchardt I 144). De ceteris locis Livianis mihi non constat quid codicum fide vere praestetur.

2) Pro *Pthiam* legitur *et iam* Ov. metamm. XIII 156 ubi recentiores *Pythiam* vel *Phitiam*, cf. Sen. Tro. 816 *ethie* . — Propert. III 13, 38 *Phthyi* : *Pythii* : *Fitii*, sed codices omnes novicii.

3) Prorsus solitarium est *nafta* Dan. 3, 46 in Palimps. Wirceburg. ed. Ranke 132b 9 quod errore legentis natum esse opinor. Cf. quae de *naptha* supra collegimus p. V sqq.

4) Omnes scriptores minus accurate recognitos ut par est supersedi in testimonium vocare: hinc v. c. explices quod complurium medicorum nomina satis celebria in hac mea commentatione omnino non laudantur. Quamquam in hac parte me eruditione deficiente vel memoria saepius peccasse a peritis fortasse edocebor: quod aequos iudices litterarum infinito ambitui ingentique moli facile condonaturos spero.

5) Legas quae hac de re dixerit Fleckeisen annal. 99 (1869), 656 sq. Qui ut erueret quid Plinius scripsisset, confugere debuit ad accuratiores Solini et Martiani Capellae editiones quos Plinii copias constat compilasse. Quae tamen via in exemplorum paucitate nobis non patet. (Solin. 68, 6 libri habent *Phtia Thia Phia Phthia* quo ne offendaris, cf. *Phtholomeus* Lucan. X 427).

6) i. e. φθειροφόρον. Cf. Matth. Silv. s. v. *ptiropien, ptiropolen i. e. abies picea.*

gus legitur *monot(h)ongus*[1]) cui accurate respondent *monot(h)almus*[2]) et *but(h)almon* et ital. *apotegma*. Quoniam Galli et Itali hodie *tisane* et *tisana* (Itali etiam *Tolommeo* pro *Ptolomaeus*) dicunt, nomina gall. *tisique* et ital. *tisico* (*tisi*, *tisica*) — ex *ptisicus* plane eodem modo quo illa ex *ptisana* orta — excusationis non indigent. Hodie cum vel Horatium scripsisse *tisanarium* grammatici sibi persuaserint, non dubitant Iuvenali relinquere quod in codicibus legitur *thisicus*[3]). Quamquam in tali re inscriptionum memoriae plus tribuendum iudico quam codicum consensui quos saepissime non tam auctoris usum exprimere quam sui quemque aevi consuetudinem satis constat. Atqui ex titulis colligendum videtur in his non eruditos homines, sed indoctos potius volgari obtemperantes mori pronuntiandi[4]) labialem abiecisse. Iuvenali igitur *pthisicus* ego non minus restituerim quam Horatio et Martiali *ptisanarium* vel *ptisana*[5]). Similem inter doctum et volgarem usum deprehendimus discrepantiam per medii aevi tempora[6]), nam cum forma volgaris esset *t(h)isis*, medici semper *pthisis* probasse videntur (uno excepto Anthimo qui lectoribus scripsit barbaris et indoctis, v. p. IX 5). Si Petronius 64 re vera *tisicus* dedit, Trimalchioni formam ab erudita consuetudine abhorrentem consulto tribuisse censendus est[7]).

16. Italos qui *phth* novarint etiam *chth* (pro χϑ) probasse quivis vel sine testimoniis credet. Quae tamen circumspicientem non deficient: Pontan. de aspir. lib. I f. 3b. II f. 40b. 46b *Ichthyo- Ennosichthon Erichthonius Erichtho Erychtheus Erychthides Damasichthon Erisichthon*, Tortell. s. vv. *Erichtheus Erichthonius Ichthyophagi*. Testes nominum laudantur Vergil. Georg. III 113, Ovidius Metamm. II 553, Solini Collectanea: quibus addidit Robertus Stephanus in Dictionario nominum propriorum s. *Erichtho* Ovi-

1) Cf. pp. V 4. XXIV 2.

2) Quod ratione contraria labialis consona e nomine *obtalmiae* nunquam fere medii aevi temporibus demitur pravae originationi deberi videtur de qua dixi p. IX 3.

3) Fleckeisen annal. 93 (1866), 3. 244. Schuchardt I 144. III 75. 101. Keller Epilegg. in Hor. 541. Friedlaender ad Mart. XII 72, 5 et Petronii cen. Trimalch. 64 p. 293.

4) *Tolomais* CIL. X 3018. *Ptolomeus* Comm. Bern. in Luc. V 58. 63. IX 1084. *Ptholomeus* VII 710: *Tolomeus* VIII 281. 452. 512 (in lemmate). 560. 575. 597. 653. IX 1096. X 19. 187. 409. 463. 468. *Tholomeus* III 165 (ubi B *Ptholemeus*). IX 131. 1023; in Lucano contra semper legitur forma non truncata (Genthe in Fleckeisenii annal. 95 (1867), 22).

5) Quam in hoc vocabulo *p* consona duraverit, elucet ex forma transpositione orta *tipsana* de qua obiter dixi p. VIII 8. Cf. Rose Anecd. II 88, 9. Alph. 185. Thurot l. l. 436. Diefenbachii gloss. s. vv. *dipsane tipsana*. Wright-Wuelcker I 114, 27. Steinmeyer-Sievers I 542, 46. II 241, 43. 377, 9 (*ptisane -a* II 214, 54. 233, 3. 324, 20 al.); cum *pthipsicus* supra memorato debui componere *ptipsane* ib. I 540, 29. — *siptaci* legitur etiam in Riesii Geogr. min. latin. 9, 5. — Transpositionis exemplum simillimum attigi Zeitsch. f. vgl. Sprachforsch. XXXIII 218, 1: 'med.' *saksapavana* ex *ksassapavana* ortum.

6) Cf. quae p. VI ex lexicis notavi: *thisis, melius tamen ptisis*.

7) Vitruv. II 9, 17 (60, 21 Rose) *thisicis* cuius in locum ut *pthisicis* reducamus suadet mirum *tiphisis* I 6, 15 (24, 15). — Ex glossis hic adiungo *tisica passio* CGL. III 606, 27, *tirasin* 30, *trasin* 29 i. e. φϑειρίασις, *tarmicum* 41 i. e. πταρμικόν. Mihi iudicium non constat de herbis *tura* et *antura* s. *t(h)ora* et *anthora* quarum nomina ex φϑορά et ἀντιφϑορά ab etymorum scrutatoribus explicata esse videntur (Marc. Empir. ed. Helmr. 84, 6. Alphita ed. Mowat 10 c. nota editoris. Matth. Silv. s. *anthora*).

dium Sapph. epist. 139 et Lucanum l. VI. Haec ab Italis et ipsa novata esse vel Salemonis Glossae confirmant allato ex Vergilio eodem loco Georgicon:

Primus *Erictonius* currus et quattuor ausus.

A qua scribendi ratione non recedit Papias ex cuius codicibus Vaticanis Wuensch mihi enotavit lectiones *Erictonius Ictiophagi*: quae in editione impressa invita Minerva 'emendatae' sunt. Plura exempla conquirere ex glossariis non tanti est. Nam *Erectheus Ericthonius Erectho* quin recte et latine aspiratione simplici, non geminata dicantur, dubitare vix sinent loci quos paginae subscripsi[1]) compositi cum Hieronymi in chronicis quorum memoria fide vetustissimorum codicum nititur usu perpetuo ubi *Ericthonius Erysicthon Erectheus Erecthidae* omnibus 13 locis inveni. Accedunt *autocthones antícthones* Mela 2, 15. 13, 16 Frick. Apul. Metamm. 6, 3. 207, 30 Eyssenh. Censorin. de die natal. 12, 5. 77, 9 Jahn, *Icthyophagi* Mart. Cap. 242, 20. 244, 1 Eyssenh. Geogr. lat. min. 30, 11. 76, 17 Riese. Chron. min. I 101 a182. 108 a208 Mo. (*Icthys* Mela 39, 16. 24 Frick)[2]). In titulis exempla rarissima, sed duo quae inveni eodem modo perscripta sunt, nomina *Ti. Claudii Erecthomeni* CIL. VI 11375 et *Q. Decci Erecthei* Boissieu Inscript. de Lyon p. 508 nr. XXXVII.

Quamquam error in his facillime committebatur, immo vix ab indocto potuit evitari, quandoquidem *ch* a *c* sono nihil distabat: hinc accidit, ut cum ex lege scripta sint Diom. GL. I 318, 9 *elencti* = ἐλέγχϑη, Serv. in Aen. II 610 p. 308, 19. V 810 p. 650, 22 *enosicthon* (VII 661 p. 178, 1 *micthisa* = μιχϑεῖσα), herm. Amplon. 82, 24 *icthion*, Leid. 72, 45 *icthies*, gloss. Leid. 405, 1 *ypocthonioe*[3]), in margine 'Philoxeni' (iuxta *ptisicus* supra p. XXI tractatum) legatur 151, 17 *ichtiotrofion* de cuius aspiratione errore addita ut recte iudices, conferas 125, 22 *ichtericus*[4]) i. e. ἰκτερικός.

17. Vocabulis ex χϑ incipientibus volgari sermone saepius gutturalem omnino demptam esse ex *Tesifon* CIL. V 500 similibusque exemplis[5]) facile colligas: hinc lux affulget lectioni *Thonius* Ovid. Metamm. XII 436. Alias vocali inserta consonas dirimi videmus more Romanis perquam usitato: qua tamen in re hoc observatum quod ab omnibus ceteris

1) Cic. pro Sest. 21, 48. Tusc. I 48, 116. de fin. V 22, 62. de nat. deorum III 19, 49 sq. Verg. Georg. III 113 (Servii comm. p. 285, 13 sqq. et schol. Bern. p. 931 Hagen). Prop. II 6, 4. Ovid. Metamm. VI 677 (701 *Erechtheus* sine nota, ut *Erichthonius* II 553). VII 430. 697. 726. VIII 548. Heroid. XVI 345 (XV 139 *Erichtho* sine nota). Cul. 336. 344 *Erecthon* (30 *Erechton*. noto errore). Lucan. VI 508. 640 (coll. comm. Bern. ad vv. 671. 821). Sil. It. Pun. XI 294. Avien. ed. Holder II 410. Dracont. ed. Duhn V 130. Ampel. ed. Woelffl. 13, 17. Schol. in Germ. Aratea ed. Breysig 73, 2. 7. 132, 16. Serv. in Georg. III 35 p. 278, 2 (Bucol. X 62 p. 126, 1 *Erisicthon*).

2) Corrupta non curo, velut Catull. 64, 211 *Ereptum*, Ov. Metamm. VI 254 *Damasithona*, Amm. Marc. XVII 7, 12 *Sisichona* (cf. v. l. Sil. It. XI 294 *Ericthonium Erithonium Erichonum*), Ampel. 7, 17 *autocona*.

3) *ichthyes* simm. herm. Mon. 186, 25 sqq. componenda cum *ftonos ftoreys* de quibus supra p. XX tractavi (dubito de *ichtus* : *icthus* 170, 28: an fuit in archetypo *icthys?* Cf. *ecthes* 169, 39).

4) An. sacr. spic. Solesm. par. II 144, 66 *ichtirmon* = οἰκτίρμων (145, 112 *ycthyas· piscis*). — Hoc loco adnotare lubet *ictiocolla* Alph. 85. Matth. Silv. s. v. (qui habet etiam *ictis ictidion* iuxta *kefalos ichthis*): quorum locorum auctoritas tamen exigua. — *Chthonius* graeco more scribitur in excerptis barbari.

5) Cf. Diomed. GL. I 324, 7 *cteticon* A: *tethicon* B. Consent. V 341, 2. 6. 7. 10 *thetica* = κτητικά. Schol. Bern. in Verg. Georg. I 482 (p. 882 Hagen) *Thesias* = Κτησίας. Mart. Cap. 243, 22 Eyssenh. *Ctesipontem* : *Tesipontem*. Cf. Solin. 227, 16 Mo.

epentheseos exemplis latinis — nam in aliis Italorum dialectis comparabilia occurrere
notum est — alienum videtur, ut ex vocalium numero ea inserenda deligatur quae syllabae
proximae natura insita est, *cotonos* = χθονός CGL. III 167, 43 [1]), *cothonioe* (sic scriben-
dum pro tradito *cotahonioe*) = χθόνιοι 82, 56 (cf. contra *kytino* = κτείνω 76, 46, *Cete-
sifon* [v. l. *Tesufon*] Iul. Honor. cosmogr. in Geogr. lat. min. ed. Riese 30, 6) [2]).

18. Ab usu Romanorum novi qui consulto videatur recessisse hominem ceteroquin
doctum et eruditum sed in hac una re componendum eum quidem cum barbaro illo de cuius
excerptis p. XIV sqq. verba feci, Cledonium 'Romanum senatorem Costantinopolitanum gram-
maticum'. Nam in libro quo ille Donati artem exponere instituit cum vetustissimus codex
Bernensis (saeculi sexti vel septimi) scriptura mirum in modum variante *difthongo(n)*
dipftongae diftongam dyptonga diptongam exhibeat [3]), agnoscere mihi videor librarium
latinum cum formis quibusdam insuetis exempli quod ei transscribendum mandatum erat
tamquam luctantem: in archetypo legit de *difthongo* vel *diphthongo*, quam ipse *diptongam*
vel *dyptongam* dicere consuerat. Quod si recte coniectum est, Cledonium continuo
sequitur has formas auribus vel certe oculis concessisse Graecorum in quorum urbe Donatum
scholis publicis praelegeret. Neque fuit hoc studium graecissandi a Prisciani ingenio
alienum doctoris et ipsius Constantinopolitani, qui cum vocabula consuetudine communi
recepta a figura vere latina deflectere non auderet (si tamen recte de forma *dipthongos*
Prisciano restituenda supra disputavi) [4]), in rarioribus quae poetarum lectio suppeditaret
nec frequens usus ab immutatione vindicaret Graecorum auctoritati lubens cessit: I 13, 5 sq.
('h non est) muta, cum in eadem syllaba cum duabus mutis bis ponitur, ut *Phthius Erich-
thonius*'. At Constantinopolitani a viventis linguae communione seclusi in hac re Italorum
Hispanorum Gallorum latine loquentium non tulerunt applausum: qui more avito aspira-
tionis geminatae confragositatem horrentes in vocabulis quotquot graece scripta φ et ϑ vel
χ et ϑ continuant *p* et *th*, *c* et *th* (non *ph* et *th*, *ch* et *th*) iungere pergebant [5]). Quae
consuetudo cum permansisset usque ad renascentium litterarum tempora, illo aevo quod
novandi et emendandi studio ardebat extiterunt qui maiore cum successu resumerent quae
multis saeculis ante Cledonius et Priscianus frustra tentaverant.

19. Scribendi novam rationem quam in vocabulo *dipthongi* similibusque Guarinum Tor-
tellium Iunianum Maiium Papiae editorem secutos esse vidimus etiam aliis qui humanitatis
studiis faverent Italis probatam esse facile credemus. Quod et documentis ex eorum
libris petitis demonstrare possum valere de Georgio Valla — qui in opusculo de ortho-

1) Sic Cyprii scribunt *po.to.li.se* pro πτόλις.

2) Mero errore natum opinor *Ericethonius* Censor. de die natali ed. Jahn 13, 12.

3) GL. V 29, 11. 29. 57, 4.

4) p. XXIII. Nihil certi effici potest ex Prisc. instit. I 42, 10 '*c* vero et *p* praeponuntur
sequente *t*, ut *actus lectus aptus diphthongus*' (sic editur sine nota, quamquam in libris potius *dip-
thongus* esse mihi quidem pro certo est). Nam quoniam Prisciano *h* non pro littera erat (35, 25 sqq.,
'spiritus potestatem litterae non mutat' 11, 26), '*p* praeponi sequente *t*' recte dici potuit, sive *diph-
thongus* bis aspiratum probavit sive *dipthongus* (cf. 42, 18 sq. de *Siphnus*, 22 de *Isthmos*).

5) Prisciani de *Erichthonius* notam in schedas suas rettulit Cassiodorius GL. VII 207, 22 ubi
libri *Hericthonius* vel *Hiericthonis*. Quid Cassiodorius scripserit non exputo.

graphia [1]) praecepit de his vocabulis *Erechtheus* (*Erichtheus*) *Erichthonius diphthongus Aphthonius Phthia Phthius* (in nominibus ultimo loco positis ad graecam normam revocandis ultra Tortellium progressus [2])) — atque de Sulpicio Verulano [3]) et Nicolao Perotto [4]) artium grammaticarum conditoribus qui διφθόγγους latine dicebant *diphthongos* — in hac re cum Pyladis Brixiani Carmine scholastico [5]) aliorumque libris grammaticis illi quidem consentientes. Quamquam idem grammatici nomen caesurae *heptimemeris* a tradita forma deflectere videntur omisisse [6]), scilicet quia vocabuli originem nondum perspexerant [7]): quam simulatque intellegere philologi inceperunt (quod ineunte saeculo sexto decimo accidisse videtur [8])), continuo insecuta est scripturae immutatio (*hephthemimeres*).

20. Studium orthographiae emendandae iam quinto decimo saeculo montes transgressum esse priore docuimus commentatione: quod novis nunc exemplis probabitur. Et primum quidem Daventrienses pro universa quam sequebantur studiorum ratione facere non potuerunt quin Italis haud cunctabundi obtemperarent *diphthongum* geminata aspiratione eodemque modo similia scribi iubentibus. In dialogis Hegii quos Fabri in magistrum humano fato defunctum pietas suscepit edendas [9]) invenio graece scriptum δίφθ(ο)γγος [10]),

1) Cf. I pp. XVII 3. XXII 4.

2) Cf. p. X.

3) Inspexi Francofurti 1: 'Grammaticam Sulpicii Verulani' a. 1486, 2: 'Io. Sulpitii Verulani de octo partibus orationis libellum utilissimum' ab Ascraeo Blancardo Aquipendio editum 'impressum Venetiis per Christoforum de pensis de mandello a. 1489 die vero IV mensis Aprilis', 3: 'Sulpitii Verulani grammaticam' 'impressam per Conradum Zeninger civem Nurenbergensem', Marpurgi 4: 'Grammaticen Sulpitianam cum textu Ascensiano recognito et in compluribus locis aucto' impressam 'per discretum Gregorium Bartholomei summaque lucubratione et ferventi diligentia revisam in nobili ac praeclara Basileorum urbi expensis commendabilis viri et domini, domini Wolffgangi Lachner anno salutis Christianae 1509 ad Calendas Februarii'. In 1 et 3 praeter *dyphthongus* etiam *dipthóngus* invenitur (vix ex Sulpicii mente).

4) In bybliotheca Francofurtensi inspexi 1: 'Grammaticam Nicolai Perotti' supra p. III 5 commemoratam et 2: 'Grammaticam Nicolai Perotti, iam de integro castigatam' et 'excusam Colonie in officina litteratoria Henrici Quentel a. 1512' (ubi auctor graeca vocabula inseruit, in hoc exemplari hiant lacunae).

5) V. supra I p. XVII 3.

6) *heptimemeris* in schedis meis invenio enotatum ex grammatica Sulpicii 3. 4 et Perotti 1.

7) Cf. p. XI 4.

8) *heptimemeris* deprehendimus in editione Parrhasii a. 1504 (supra p. XXIII 4), *hephthemimeres* scribitur in 'Quadrivio grammatices Ioannis Coclaei Norici compendiosa brevitate perspicuo denuo chalcographiae demandato' 'Tubingae in aedibus Thomae Anshelmi Badensis mense Septembri a. 1513' (in capitulo de aspiratione auctor praecipit disertis verbis de *Phthio Erichthonio* recte scribendis). De Coclaei Quadrivio anno 1511 primum evolgato v. Joh. Müller Quellenschriften 252 sqq. (editio Tubingensis in bybliotheca Francofurtensi extat).

9) Cf. I p. XXI 4.

10) De anima sensuali sive sensili dialogo tercio ineunte [D Ia]. Ibidem scribitur δ(ι)ατεσσερον i. e. διὰ τεσσέρων ut tunc homines vocabulum efferre solebant (sive α in ε ore latino corrupto sive recepta ex Graecia forma volgari, cf. τεσσεραχοσταῖον Censorin. de die natali 28, 9 ed. Jahn); *diatesseron* (ex. gr. Zechmeister schol. Vindob. 24, 29) quod ne Sulpicius quidem Verulanus reprobavit (supra not. 3 nr. 1 in 'vocabulis explanatis') me legere memini etiam in Simplicio Simplicissimo.

latinis litteris *phthisim phthisicis*[1]). Eodem modo geminam aspirationem adhibet Ioannes Synthen nomini *diphthongi* in 'Dictis super prima parte Alexandri' (sive 'Glosa prime partis Alexandri') Reichl. nr. 26* [Argentinae] anni 1485. 36 Argentinae 1487. 124 Daventriae anni 1496. 144 Argentinae 1499 (ubi tamen initio comparent *dipthongon dipthongus pthongus*, sed opere progrediente scribendi ratio mutatur)[2]). Neque aliter Hermannus Torrentinus et ipse Daventriensibus adnumerandus[3]) in primae Alexandri partis cum commentariis editione (Reichl. nr. 188* Coloniae 1505. 228 Tubingae 1511. 244 Basileae 1516. post 244 inser. [supra I p. XIX] Argentinae 1516) et in 'Elucidario carminum et historiarum vel Vocabulario poetico continente fabulas historias provincias urbes insulas fluvios et montes illustres'[4]) cuius libri inter primarios auctores habendus est Tortellius nobis iam probe notus[5]): ubi s. v. *Aloeus* legitur *diphthongum* (*dyphthongum*) et pro *Pthia* Torrentinus, quamquam sedem a Tortellio nomini concessam (inter *Psylli* et *Ptholomaeus*) non mutavit, tamen induxit ut ad graecae formae similitudinem propius accederet *Phthia*.

Quae tamen ratio magistris scholae Daventriensis probata non placuit Coloniensibus. Nam in Glosae notabilis Coloniae natae editionibus quae quidem in ipsa urbe typis descriptae sunt[6]) medii aevi consuetudo sollemnis quae nomini *dipthongi* aspirationem

1) ibidem [D Ib].

2) Ad Alexandri versum 31 Sinthen docet, quot sint et quomodo pronuntiandae Graecorum *diphthongi*, *ai* = *e*, *ay* = *af*, *ei* = *i*, *ey* = *ef*, *oi* = *i*, *oy* = *u*. 'Istud', ait, 'novisse de Graeco nulli nocet. Nam valet in multis modicilla scientia talis'.

3) Hermanni Hamelmanni opera genealogico-historica de Westphalia et Saxonia inferiori (Lemgoviae 1711) 115. 334. Reichling Das Doktrinale des Alexander pp. LXIX. XCI.

4) Marpurgi usus sum editione 'denuo recognita et diligenter emendata quibusdam etiam additis' (in fine leguntur 'impressum per me Iacobum de Breda anno domini 1505'), Francofurti altera quam 'impressit Iohannes Prusz civis Argentinus in edibus zum Thiergarten' a. 1505 (Ch. Schmidt, Répertoire bibliographique Strasbourgeois jusque vers 1530 III p. 15 nr. 52) et tertia quae non diversa videtur ab illa quam Ch. Schmidt l. l. IV 20 nr. 14 descripsit (quamquam in fine exemplaris Francofurtensis legitur nota anni M.D.VIII, fortasse ea quidem errore nata qui sero animadversus ex parte tantum editionis tolli potuit).

5) Ex praefatione haec adscribenda duxi: 'Ut autem huic opusculo fides habeatur noverint qui legent id ex multis et probatis auctoribus esse collectum, videlicet ex Salustio Livio Strabone Plinio Iustino Virgilio Nasone Perotto Tortellio a quo tamen interdum graviori fretus auctoritate descivi'. Attendas velim *a quo* (non *a quibus*). Ante ordinem vocabulorum quae ex *f* initium sumunt monet Torrentinus 'de littera *f* nullum nomen posuisse Tortellium': scilicet ut legentes ne falleret hanc lacunam ipsius studio esse suppletam. — In Elucidarii locum substitutum voluit Robertus Stephanus 'Dictionarium nominum propriorum virorum mulierum populorum idolorum urbium fluviorum montium caeterorumque locorum quae passim in libris prophanis leguntur' ('Coloniae Martinus Gymnicus excudebat a. 1546'), cuius auctor in praefatione satis acerbum de Elucidario tulit iudicium. Hic notulam addam de alio libello simili quo nescio quis collegerit 'Propria nomina clarorum hominum populorum urbium provinciarum montium ac fluviorum magis insignium ex Iohanne Tortellio (et aliis)': qui inest in 'Vocabulario variorum terminorum ex poetis et historiographis congesto' (Argentinae 1502: Ch. Schmidt l. l. III p. 10 nr. 33, vidi Francofurti) et in Marpurgensi (supra I p. VI sq.) Gemma Gemmarum (Coloniae 1504: in quo exemplo s. v. *Caea* legitur *dypthongon*).

6) Cf. I p. XVIII, de nr. 53 (quam editionem Francofurti manu versavi, v. l. l. ubi pro 53 errore scriptum est 55) nihil invenio in schedis meis adnotatum.

labialis denegavit in hac voce cum fide expressa est, quamquam in nonnullis aliis vocabulis auctore Iohanne Synthen rationem scribendi sive vere emendatam sive quae saeculo illi pro emendata erat admissam esse vidimus[1]). Contra Basileenses sese humanitatis studiis laete reviviscentibus magis favere etiam hac re significarunt quod non religioni habuerunt quin in Glosam notabilem invito auctore formam *diphthongus* inferrent (Reichl. nr. 146. 170).

Quo tempore Martini Flach Argentinensis officina ab aevi superioris consuetudine ad illam quae viris novo more doctis emendata videbatur transierit haud scio an possit accurate definiri, cum Glosae notabilis in primam Alexandri partem exemplum quod mense Iulio anni 1490 prelum subiit more vetusto *dipthongus* scriptum exhibeat, ceterae partes amplius anno post in lucem emissae (a. 1491) ratione interim mutata *diphthongus*[2]).

Simile discrimen intercedit inter diversas Gemmae gemmarum editiones: nam aspirandi moris ab Italis novati nulla vestigia adesse vidimus in exemplo Coloniensi a. 1504 (et 1514), cum uni certe ad artem grammaticam pertinenti vocabulo *diphthongi* geminatam aspirationem addere auderent Argentinensia a. 1508 et 1520[3]).

Basileenses novae scribendi rationi fortasse adsuefecerat Breviloqui Reuchliniani usus ubi pars certe nominum illi accommodata est, *buphthalmon* (inter *bustura* et *butanicum* collocatum) *diphthongus* (inter *diptica* et *dira*) *Ichthyophagi phthongus* (inter *ptisana* et *ptotos*) — ut tamen ordine prodatur exemplaris aliter scripti correctio —: quamquam in ceteris *hepthemimeris Iepte napta Neptalim ptisis* (s. v. *tisis*) medii aevi consuetudo non est deserta.

Licet paulo diutius quam grammatici novarum rerum studiosi artis medicae doctores restiterint prurigini emendandae latinitatis[4]), tamen saeculo sexto decimo progrediente deliciis novae sermonis elegantiae omnes adeo captati et deliniti sunt, ut per alteram saeculi partem vix quisquam possit inveniri quin *phthisis ophthalmia naphtha* probaverit. Quae ratio scribendi et pronuntiandi ad nostram usque memoriam obtinuit ob hanc solam causam nemini improbata, quandoquidem Italorum errore inducti medii aevi usum contemnere et fastidire praeter modum consuerunt editores.

1) Cf. I p. XXII 1. De Coloniensibus et Basileensibus v. etiam quae eodem loco monui. — Commentario Iacobi Fabri Stapulensis in euangelia formam *Neptalim* intulit (pro ea quam ipse auctor probabat *Nephthalim*) editor Coloniensis Godofridus Hittorpius (exemplum Marpurgense quo utor anni nota destitutum est).

2) Omnes quattuor partes, ut quae unum librum efficiant, eodem volumine vetusto comprehensas in bybliotheca Francofurtensi vidi. Ergo parum recte habent aut certe idonea sunt quae legentes in errorem inducant verba a Reichlingio nr. 82 adscripta: 'pars I deest'.

3) V. supra p. VI coll. I p. V sq.

4) Exemplis supra p. IX allatis adde (prater *ptiriasis* Gueroald. in Macr. Flor. c. 5) *opthalmia ptisis ptisicus* a me enotata ex Ioannis Mesuae (cum Antidotario Nicolai) editione Lugdunensi (impressa per Gilbertum de Villiers a. 1511 die 25. mensis Iunii) quam in bybliotheca Marpurgensi inspexi. Medicorum usu prius *epilepsia* receptum esse quam *ophthalmia* et *phthisis* etiam haec editio confirmat quae habet capitulum de *epilepsia* (cui vetusta manus eius qui librum olim possedit vel usurpavit rubro colore appinxit primo *regimen epilenticorum*, in paginis sequentibus bis *epilepsia*).

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice* in seminario theologico *exercitationes systematicas* moderari perget die Martis h. IV; 2) *privatim a) theologiae dogmaticae partem alteram* quater h. XI, *b) theologiam symbolicam* docebit quater h. XII.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim a) psalmos selectos* interpretabitur quater per hebd. h. X, *b) antiquitates sacras veterum Hebraeorum* enarrabit bis per hebd. diebus Mercurii et Saturni h. X; 2) *publice* seminarii theologici *ad Vetus Testamentum spectantes exercitationes* moderari perget die Lunae h. VI—VIII.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., ordinis theologiae h. a. decanus, 1) *privatim a) artem poemenicam nec non liturgicam* quinquiens docebit h. VIII, *b) de munere et de regimine ecclesiastico* tractabit bis h. IX die Mercurii et h. VIII die Saturni; 2) *publice* seminarii theologici *exercitationes pertinentes ad artem homileticam* die Mercurii h. III—V, *ad artem catecheticam* die Veneris h. III—V moderari perget.

ADOLPHUS IUELICHER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim a) historiae ecclesiasticae partem alteram* enarrabit quinquiens per hebd. h. IV, *b) Pauli apostoli epistulam ad Romanos scriptam* interpretabitur diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX; 2) *publice exercitationes archaeologicas* moderabitur die Merc. h. IX.

CAROLUS MIRBT, theol. Dr. et P. P. O., 1) *privatim historiam ecclesiasticam XVIII. et XIX. saeculi usque ad haec tempora* tradet ter per hebd. h. IV; 2) *publice a) historiam fidei propagatae ab ecclesiis reformatis* semel per hebd. h. IV, *b)* seminarii theologici *exercitationes historicas* moderari perget Veneris h. VI—VIII.

ERNESTUS KUEHL, theol. Lic. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim a) theologiam Novi Testamenti* docebit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX, *b) evangelium Ioannis* interpretabitur diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. X; 2) *publice* seminarii theologici *exercitationes ad Novum Testamentum spectantes* moderabitur die Iovis h. VI et VII.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

IOANNES WERNER, Lic. theol. et Dr. phil., *religionem christianam contra dubitationes his temporibus adlatas defendet* diebus Martis et Veneris h. V.

BERNHARDUS BESS, theol. Lic., 1) *privatim historiam litterarum christianarum veterum* tradet bis per hebd.; 2) *publice de Lutheri doctrina per singula temporum intervalla examinata* disseret semel per hebd.

IOANNES BAUER, theol. Lic., 1) *privatim historiam architecturae ecclesiasticae evangelicae* enarrabit bis diebus Lunae et Martis h. V; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes homileticas* moderabitur semel die Iovis h. V.

GUSTAVUS ADOLPHUS DEISSMANN, theol. Lic., seminarii Philippini maior, 1) *publice exercitationes* seminarii Philippini *ad Novum Testamentum spectantes* moderari perget die Jovis h. VI—VIII; 2) *privatim Pauli epistulam ad Galatas datam* interpretabitur bis per hebd.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice* disseret *de iure possessionis* die Mercurii h. XII; 2) *privatim* docebit *pandectarum p. I (doctrinas generales, ius quod pertinet ad res et ad obligationes continentem) Dernburgio duce* quinquiens h. XI, quater h. XII; 3) *privatissime conversatorium* instituet *de iuris pandectarum p. II (ius obligationum, familiae, hereditatis continente) Dernburgio duce* in seminario iuridico dieb. Lunae et Iovis h. VI—VIII.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice* disseret *de iure et de fontibus iuris* die Saturni h. XII; 2) *privatim* docebit *pandectarum primam partem (doctrinas generales, ius quod pertinet ad res et ad obligationes continentem) Dernburgio duce* quinquiens h. XI quater h. XII.

IUSTUS BERNHARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., Aug. principis ab intimis iustitiae consiliis, 1) *publice constitutionem imperii Germanici* in seminario iuridico die Martis h. VI interpretabitur; 2) *privatim* docebit a) *ius publicum Germanicum et Borussicum* tradet quinquiens h. XI, b) *ius inter gentes* bis h. XII.

CAROLUS DE LILIENTHAL, I. U. Dr. et P. P. O., 1) *publice de natura poenarum earumque executione* die Martis h. III; 2) *privatim* a) *de iure criminali* disseret diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. X, b) *de concursu creditorum* die Merc. h. III—V; 3) *privatissime* in seminario iuridico *practicum de iure criminali* instituet die Ven. h. VI—VIII.

RUDOLPHUS LEONHARD, I. U. Dr. et P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, ordinis iureconsultorum h. a. decanus, 1) *publice de verborum significatione tam ad iurisprudentiam quam ad adminastrationem tabulariorum pertinentium institutis exercitationibus* disseret in seminario iuridico die Saturni h. V; 2) *privatim* a) *ius Borussicum privatum una cum elementis historiae iuris Borussici* docebit quinquiens h. X, b) *processum civilem imperii Germanici* diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas iuris civilis* instituet in seminario iuridico die Mercurii h. VI—VIII.

HENRICUS LEHMANN, I. U. Dr. et P. P. O., 1) *publice ius litterarum cambialium aliorumque pretiosarum* tradet die Mercurii h. XI; 2) *privatim* a) *ius Germanicum privatum, iuris Borussici atque novi codicis Germanici ratione habita* docebit quinquiens h. XII, b) *ius mercatorum nec non et maritimum* tractabit diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. XI; 3) *privatissime* a) *exercitationes* instituet *practicas ad ius mercatorum spectantes nec non ad cambiale*, diebus Martis atque Veneris h. V, b) *collocutiones* habebit *de iuris Germanici historia deque iure publico adque ecclesiastico* diebus Lunae et Iovis h. V.

CAROLUS BERGBOHM, I. U. Dr. et P. P. O., 1) *publice collocutiones de iure inter gentes privato et criminali* habebit die Merc. h. V; 2) *privatim* a) *ius administrationis Borussiae* tractabit diebus Mart. Merc. et Ven. h. XII, b) *philosophiam iuris* docebit diebus Lunae Mart. et Iov. h. V, c) *historiam doctrinarum politicarum* tradet diebus Lunae et Iovis h. IV.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GERARDUS ALEXANDER LEIST, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice ad M. Tullium quaestiones iuridicas* instituet die Martis h. IV; 2) *privatim* docebit a) *institutiones iuris Romani* diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. h. IX, b) *historiam iuris Romani* iisdem diebus h. X.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid lecturus esset non indicavit.

BERNARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, quid lecturus esset non indicavit.

FRIDERICUS WACHENFELD, I. U. Dr. et P., *privatim processum criminalem* docebit diebus Martis Mercurii Iovis Veneris h. VIII.

CAROLUS CROME, I. U. Dr. et P., tribunalis regii Francofurtensis iudex ordinarius, *privatim de iuris Francogallici rhenani parte ea quae ad res pertinet, de iure familias et hereditatum* disseret die Mart. h. III—V.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director. Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus generalis secundi ordinis, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* habendum offert semel per hebd.; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* ter per hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen medicam* ab h. X et dimid. ad XII moderabitur.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinum coronae Boruss. III. cl. et aquilae rubrae IV. cl. eques, leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice* offert *selecta physiologiae capita* bis per hebd. h. XII; 2) *privatim* a) *physiologiae experimentalis primam partem* quinquiens p. hebd. h. XI docebit, b) *physiologiam sensuum* tradet bis p. hebd. h. XII; 3) *privatissime exercitationes et investigationes* in instituto physiologico moderabitur.

FRIDERICUS AHLFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O., instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. et Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice repetitorium rerum obstetriciarum* semel per hebd. h. V instituet; 2) *privatim* a) *clinicen artis obstetriciae propaedeuticam* moderabitur bis per hebd. h. VIII, b) *artis obstetriciae theoriam (physiologiam graviditatis, partus et puerperii)* bis per hebd. h. IV docebit; 3) *privatissime* a) *operationes obstetricias* demonstrabit bis per hebd. h. IV, b) *clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. VIII.

FELIX MARCHAND, med. Dr., pathologiae generalis et anatomiae pathologicae P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice de tumoribus* disseret die Veneris h. XII; 2) *pri-*

vatim pathologiam generalem et anatomiam pathologicam generalem docebit diebus Lunae Martis Mercurii Iovis h. XII; 3) *privatissime demonstrationes anatomico-pathologicas* moderabitur et *artem cadavera rite secandi* docebit diebus Martis et Veneris h. II—IV.

AEMILIUS GASSER, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice* una cum Strahlio prof. et Zumsteinio Dr. *situm viscerum* docebit h. IV; 2) *privatim a) anatomiam systematicam* quinquiens per hebd. tradet; 3) *privatissime exercitationes anatomicas* adiuvantibus Strahlio prof. et Zumsteinio Dr. diebus senis per hebd. h. IX—XII et II—IV; 4) *privatissime* et *gratis exercitationes topographico-anatomicas* una cum Strahlio prof. moderabitur.

IOANNES MEYER, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacologici director, 1) *privatim a) de intoxicationibus* disseret bis per hebd. h. V, *b) artem formulas medicas praescribendi* docebit bis per hebd. h. V; 2) *publice investigationes varii argumenti* moderabitur in laboratorio pharmacologico.

ERNESTUS KUESTER, med. Dr., chirurgiae generalis et specialis P. P. O., instituti clinici chirurg. director, Augustissimo principi ab intimis rerum medicarum consiliis, medicus generalis secundi ordinis exercitui aggregatus, cruce ferrea decoratus, aquilae rubrae IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice clinicen ambulatoriam in conclavibus nosocomii* semel per hebd. moderabitur die Iovis h. VII p. m.; 2) *privatim chirurgiae operativae partem secundam* docebit ter per hebd. diebus Mart. Iov. Ven. h. III; 3) *privatissime clinicen chirurgicam* moderabitur quinquiens per hebd. diebus Lun. Mart. Merc. Iovis Ven. h. IX—X et dimid.

GUILELMUS UHTHOFF, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis medicorum h. a. decanus, 1) *publice oculorum morbos qui corpore aegrotante incidunt* describet semel per hebd. die Saturni h. XII; 2) *privatim a) clinicen ophthalmologicam* moderabitur ter per hebd. h. XII diebus Martis et Iovis, h. X et dimid. die Saturni, *b) cursum practicum ophthalmoscopiae* habebit ter per hebd. diebus Lun. Mercur. et Vener. h. XII, *c) investigationes* moderabitur *ophthalmologicas* in laboratorio.

CAROLUS FRAENKEL, med. Dr., hygienes P. P. O., instituti hygien. director, 1) *privatim hygienen* tractabit diebus Mart. Merc. Ven. h. IV; 2) *publice repetitiones* habebit *hygienicas cum excursionibus* die Sat. h. III; 3) *investigationes* moderabitur *hygienicas* in laboratorio cottidie.

FRIDERICUS MUELLER, med. Dr. et P. P. O., instituti policlinici director, 1) *publice de morbis constitutionalibus et sanguinis* disseret die Merc. h. VI; 2) *privatim a) policlinicen medicam* moderabitur die Lunae Mercurii Veneris h. XII, *b) cursum morborum explorandorum* habebit quotidie h. III.

FRANCISCUS TUCZEK, med. Dr. et P. P. O., instituti psychiatrici director, Augustissimo principi a consiliis rerum medicarum, 1) *publice psychiatriam propaedeuticam* tractabit die Saturni h. II—IV; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur diebus Lunae et Iovis h. V—VII.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. O. H., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis coronae Borussicae III. cl. eques, scholas non habebit.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Borussicae IV. cl. eques cruce ferrea decoratus, 1) *privatim de morbis mulierum* bis per hebd. disseret; 2) *publice repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet.

IOANNES STRAHL, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice situm viscerum* una cum Gassero prof. et Zumsteinio Dr. docebit; 2) *privatim a) osteologiam et syndesmologiam* diebus Iovis Mercurii Veneris h. XI, *b) de historia generationis atque evolutionis hominis* binis scholis disseret; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes topographico-anatomicas* una cum Gassero prof. moderabitur.

ADOLPHUS BARTH, med. Dr. et P. P. E., instituti policlinici morborum auris naso-pharyngis et laryngis director, 1) *publice diagnosticen* bis per hebd. h. X docebit; 2) *privatim clinicen morborum auris, naso-pharyngis et laryngis* quaternis horis tractabit; 3) *privatissime investigationes* in instituto experiendas diriget.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr. et P., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, *privatim operationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr. et P., Augustissimo Principi a tuendae sanitatis consiliis, medicus forensis, 1) *privatim de morbis infantum* disseret diebus Mercurii et Saturni h. VIII—IX mat.; 2) *privatim* offert *lectiones de medicina forensi iis, qui iuris prudentiae operam dant*, diebus Lun. Iovis Ven. h. III—IV pomerid.

OTTO ERNESTUS DE BUENGNER, med. Dr., 1) *privatim chirurgiam generalem* docebit diebus Merc. et Iov. h. II; 2) *privatissime cursum practicum de usu fasciarum chirurgicarum* instituet die Saturni h. IV—V et dimid.

IOANNES IACOBUS ZUMSTEIN, med. Dr., 1) *publice situm viscerum* una cum Gassero et Strahlio proff. docebit; 2) *privatim splanchnologiam* semel per hebd. docebit.

GUILELMUS SANDMEYER, med. Dr., 1) *privatim physiologiam respirationis* docebit die Veneris h. V; 2) *ad privatissima* se offert idem.

ARTHURUS BARTH, med. Dr., 1) *privatissime cursum morbos chirurgicos dignoscendi* instituet die Sat. h. IX—X et dim.; 2) *publice de morbis urinariis et prostatae* disseret die Ven. h. VI.

IULIUS WITZEL, instituti odontiatrici director, *privatim a) clinicen odontiatricam cum dentium et extrahendorum et plumbandorum exercitationibus* moderabitur quinquiens per hebd. h. IX—XI, *b) cursum odontiatricum technico-practicum* instituet quinquiens per hebd. h. IX–XII et III—V, *c) cursum odontiatricum practicum* medicinae studiosis offert die Veneris h. XI ad XII et dimid.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRANCISCUS AEMILIUS MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., insituti mathematico-physici director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice repetitorium et examinatorium de rebus physices experimentalis* instituet die Sat. h. VIII; 2) *privatim physices experimentalis secundam partem ad phaenomena magnetismi, electricitatis atque calorem spectantem* leget h. VIII quinquiens; 3) *privatissime exercitationes physicas practicas* una cum Feussnero prof. moderabitur h. II—V quaternis diebus.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammaticae comparatae et philologiae Teutonicae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice a) linguam sanscritam* diebus Lun. Mercur. Veneris h. VIII docebit, *b) scriptores indicos* interpretandos hora adhuc definienda proponet; 2) *privatim linguarum indogermanicarum phonologiam comparatione grammatica illustrabit* quinquiens h. IX; 3) *privatissime et gratis persicam linguam* dieb. Mart. et Iovis h. VIII docebit.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, phil. Dr. et P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, scholas non habebit.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et litterarum recent. P. P. O., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice exercitationes* seminarii Romanico-Anglici una cum Doutrepont phil. doctore et linguae Franco-Gallicae lectore moderabitur quater per hebd. h. XI; 2) *privatim artem metricam populorum romanicorum* explicabit quater per hebd. h. X.

MAXIMILIANUS BAUER, phil. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineralogici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim mineralogiam cum crystallographia* tradet quinquiens per hebd. diebus Lunae ad Veneris h. X; 2) *publice exercitationes crystallographicas* semel per hebd. die Veneris h. XI.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice repetitorium de chemia anorganica* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem secundam, i. e. chemiam organicam* tradet quinquiens h. IX, *b) exercitationes practicas in laboratorio chemico* habebit cottidie ab h. VIII ad h. V.

HERMANNUS COHEN, phil. Dr. et P. P. O., 1) *privatim logicen et criticen cognitionis* leget quater p. hebd.; 2) *publice exercitationes philosophicas* binis horis p. hebd.

THEOBALDUS FISCHER, phil. Dr., geographiae P. P. O., coronae Italicae ordinis centurio, academiae h. t. rector, 1) *privatim geographiam terrarum, quae mare mediterraneum circumdant,* tradet quinquiens per hebd. h. XII; 2) *privatissime et gratis exercitationes cartographicas* moderabitur die Iovis h. VI—VIII.

HERMANNUS PAASCHE, phil. Dr., oeconomiae politicae P. P. O., 1) *privatim oeconomiae politicae partem secundam* tradet quater per hebd. h. V; 2) *privatissime et gratis exercitationes oeconomo-politicas* moderari perget bis per hebd.

GOSWINUS BARO DE ROPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice exercitationes* seminarii historici moderabitur die Veneris h. VI; 2) *privatim a) historiam aevi recentissimi inde ab anno huius saeculi XV usque ad annum LI* diebus Lunae Martis Iovis h. V, *b) historiam civitatum Germanicarum* diebus Lunae et Iovis h. IV enarrabit.

BENEDICTUS NIESE, phil. Dr., historiae antiquae et philologiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice* seminarii historici *exercitationibus* praeesse perget die Mercurii h. VI—VIII; 2) *privatim a) historiam Graecam* exponet ternis p. h. scholis h. VIII, *b) res Romanas inde a Gracchorum seditione usque ad Augusti principatum gestas* enarrabit ternis p. h. scholis h. VIII.

ERNESTUS SCHMIDT, phil. Dr., chemiae pharmac. P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice a) de venenis anorganicis inquirendis* disseret die Veneris h. IV, *b) rationes explorationis medicamentorum* docebit die Sat. h. IX; 2) *privatim chemiae experimentalis partem alteram* docebit quinquiens per hebd. h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur cottidie.

FRID. HENR. EMANUEL KAYSER, phil. Dr., geologiae P. P. O., instituti geologic. palaeontologici director, 1) *privatim a) geologiam historicam* docebit dieb. Lun. Marti Merc. h. XI, *b) elementa palaeontologiae animalium evertebratorum* tradet dieb. Iov. Ven. Sat. h. XI; 2) *privatissime et gratis exercitationes geognostico-palaeontologicas* instituet hora postea definienda.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in seminario philologo *Aristohanis Acharnenses* interpretandam proponet, reliquas *exercitationes* adiunget diebus Lunae et Iovis h. VI; 2) *privatim a) grammaticae Latinae partes quae sunt de natura elementorum et de verborum flexura* tradet quater per hebd. h. IX, *b) Aristotelis artem poeticam* enarrabit, *de arte scaenica Atticorum* disputabit bis per hebd. h. IX; 3) *privatissime* et *gratis Pompeiorum antiquitates* describet semel per hebd.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., archaeologiae et historiae artis P. P. O., 1) *publice historiam artis renatae* tradet die Mercurii h. V; 2) *privatim archaeologiam graecam* docebit diebus Martis Iovis Veneris h. X; 3) *privatissime et gratis exercitationes archaeologicas* moderabitur d. Lunae h. X.

EDUARDUS SCHROEDER, phil. Dr., Theodiscarum linguarum et litterarum P. P. O., seminarii Germanici director, ordinis philosophorum h. a. decanus, 1) *publice a)* seminarii Germanici sodalibus *Laurembergii saturas* interpretandas proponet die Merc. h. XII, tironum *exercitationes grammaticas* moderabitur die Merc. h. XI, *b)* in seminario diplomatico *diplomatibus selectis sermonis Theotisci medii aevi varietatem illustrabit* die Ven. h. III; 2) *privatim a) grammaticam Theodiscam* docebit diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. XII, *b) mythologiae Germanicae* capita selecta tradet die Sat. h. VIII—X.

GEORGIUS WISSOWA, phil. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in proseminario philologo *Lysiae quae fertur orationem funebrem* interpretandam proponet, reliquas *exercitationes* adiunget die Lunae h. VI et VII; 2) *privatim a) Terenti Hecyram* explicabit diebus Martis Iovis Veneris h. X, *b) Romanorum religionem et sacra* adumbrabit diebus Lunae et Mercurii h. X.

ARTHURUS MEYER, phil. Dr., botanices pharmacognosiaeque P. P. O., horti botanici et instituti botanici pharmacognosticique director, 1) *publice colloquium botanicum* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) pharmacognosiam* tradet ter per hebd., *b) exercitationes microscopicas* moderabitur semel per hebd. h. II—IV et dim., *c) fungorum historiam naturalem* tradet semel per hebd.; 3) *privatissime disquisitiones botanicas* in laboratorio botanico moderabitur cottidie.

FRIDERICUS SCHOTTKY, phil. Dr., matheseos P. P. O., seminarii mathematici director, 1) *publice* seminarii mathematici *exercitationibus* praeerit; 2) *privatim a)* in *generalem functionum theoriam* introducet quaternis p. h. scholis, *b) functionum ellipticarum theoriae partem secundam* tradet ternis p. h. scholis.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., matheseos P. P. O., seminarii mathematici director, 1) *publice* seminarii mathematici sodalium *exercitationes* moderabitur die Sat. h. X—XII; 2) *privatim a) calculum integralem* tradet quinis scholis h. XI, *b) selecta geometriae capita* tractabit ter per hebd. h. X.

EUGENIUS KORSCHELT, phil. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, 1) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam* docebit quinquiens dd. Lun. Mart. Merc. h. V, Iov. h. V—VII, *b) zoologiae cursum microscopicum* quater per hebd. moderabitur, *c) provectiorum exercitationibus zoologicis* praeerit cottidie; 2) *publice colloquium zoologicum* instituet semel per hebd. h. VI—VIII.

ALBERTUS NAUDÉ, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice a) exercitationes* seminarii historici moderabitur die Martis h. VI—VIII, *b) Hassiae historiam* exponet die Merc. h. VI; 2) *privatim historiam regni Borussici* enarrabit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI.

PAULUS NATORP, phil. Dr. et P. P. O., 1) privatim *historiam philosophiae veteris* tradet quater per hebd. h. IV; 2) publice a) *historiam paedagogiae recentioris* enarrabit bis per hebd., b) *exercitationibus philosophicis* praeerit semel per hebd., c) *exercitationes paedagogicas* moderabitur semel per hebd.

GUILELMUS VIETOR, phil. Dr., philologiae Anglicae P. P. O., seminarii Romanico-Anglici director, 1) publice *exercitationes* seminarii Romanico-Anglici moderabitur bis per hebd. h. XI; 2) privatim a) *historiam litterarum Anglo-saxonicarum* tradet diebus Mart. et Iov. h. IX, b) *historiam linguae Anglicae* enarrabit diebus Merc. et Ven. h. IX.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., matheseos P. P. E., 1) publice disseret *de Durero pictore Norico* semel per hebd. hora commoda; 2) privatim a) *artis pictoriae apud Belgas historiam* tradet binis scholis h. III, b) *theoriam determinantium* bis per hebd. posthac definienda.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., physices P. P. E., 1) publice *de phaenomenis interferentiae quae dicitur luminis* disseret semel per hebd. h. IX; 2) privatim *physices theoreticae partem alteram* quater per hebd. h. IX docebit; 3) *de exercitationibus physicis* privatissime moderandis conf. quae Melde prof. indixit.

FRIDERICUS BERNHARDUS FITTICA, phil. Dr., chemiae P. P. E., 1) publice *chemiae historiae partem primam* semel per hebd. ennarrabit; 2) privatim *chemiam theoreticam* bis per hebd. docebit.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., botanices P. P. E., 1) publice *physiologiam nutritus plantarum* tradet semel per hebd. h. V; 2) privatim a) *geographiam plantarum* tractabit semel per hebd. h. V, b) *historiam naturalem plantarum gymnospermarum* docebit semel per hebd. h. V.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., physices P. P. E., 1) publice *de phaenominis acusticis* studiosis omnium facultatum exponet die Merc. h. V; 2) privatim *encyclopaediam elementorum mechanices* quaternis scholis tradet h. XII.

ALBERTUS KOESTER, phil. Dr., rec. litterarum linguaeque Theodiscarum P. P. E., seminarii Germanici director, 1) privatim *litteraturae quae floruit saec. XIX. Germanicae historiam* enarrabit quater per hebd. h. XI; 2) publice in seminario Germanico *Hartmanni carmen cui nomen est Iwein* tironibus interpretandum proponet, nec non *exercitationes de Klopstockii odis* cum sodalibus instituet, die Sat. horis XI et XII.

PETRUS IENSEN, phil. Dr., litterarum orientalium P. P. E., 1) publice *Zamakhscharii librum qui inscribitur Mufassal* sodalibus interpretandum proponet diebus Lunae et Iovis h. XII; 2) privatim a) *monumentorum litteris cuneatis inscriptorum genera arbitrio audientium seligenda* tractabit hor. des., b) *tirones elementa linguae arabicae* docebit diebus Martis et Veneris h. XII; 3) privatissime et gratis *de Chettaeorum qui dicuntur arte titulisque* disseret die Mercurii h. XII.

GUILELMUS SCHULZE, phil. Dr., philologiae P. P. E., seminarii philologi director, 1) publice seminarii philologi sodalibus *Taciti dialogum* interpretandum proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur diebus Lunae et Iovis h. VI; 2) privatim a) *Pindari carmina* praeleget diebus Lunae Iovis Veneris h. XI, b) *de dialectis graecis* disseret die Martis h. VI et VII.

CAROLUS RATHGEN, rer. pol. Dr., scient. politic. P. P. E., 1) privatim a) *oeconomiae politicae partem secundam* docebit quater p. hebd. h. V, b) *de pecunia eiusque in solvendo usu adnexa de tabellionibus argentariisque disputatione* disseret bis per hebd.

h. IV; 2) publice *operarum Germanicorum in fabricis existentium condicio quales permutationes saeculo XIX^{mo} passa sit* exponet semel per hebd.; 3) privatissime et gratis *exercitationes oeconomo-politicas* moderari perget semel per hebd.

PAULUS KEHR, phil. Dr., historiae P. P. E., seminarii diplomatico-palaeographici director, 1) publice *exercitationes* seminarii diplomatico-palaeographici moderabitur bis per hebd. h. III; 2) privatim a) *de re diplomatica* disseret quater per hebd. h. X, b) *institutiones ecclesiasticas medii aevi* docebit diebus Lunae et Iovis h. IX.

3. VIRORUM DOCTORUM EXTRANEORUM.

BERNHARDUS RATHKE, phil. Dr., chemiae P. P. E. Halensis, lectiones intermittet.

GUSTAVUS KOENNECKE, phil. Dr., tabulario publico Marpurgensi praefectus, Aug. Principi a consiliis tabulariorum, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) privatim *elementa administrationis tabulariorum* tradet adiectis *exercitationibus* diebus Mart. et Vener. h. XI, Merc. et Sat. h. X—XII; 2) publice *tabulariorum minorum administrationis methodum iis qui sive publicam administrationem sive ecclesiasticam capessent* Iovis die h. X exponet.

4. PRIVATIM DOCENTIUM. .

CAROLUS WENCK, phil. Dr. et P., 1) gratis *de rebus Italicis quae saeculis XIII et XIV gestae sunt* disseret die Merc. h. X; 2) privatissime et gratis *exercitationes historicas* moderabitur semel per hebd.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., privatim *Wolframi Eschenbacensis carmen cui Parzival inscriptum est* interpretabitur ternis per hebd. scholis.

LUDOVICUS PLATE, phil. Dr., scholas non habebit.

GUALTHERUS IUDEICH, phil. Dr., 1) privatim *res a Romanis usque ad Gracchanos tumultus gestas* enarrabit die Mart. Iov. Ven. h. XII; 2) privatissime et gratis *exercitationes historicas de rerum publicarum Graecarum praeter Atheniensium forma et institutis* moderabitur semel per hebd.

FERDINANDUS WREDE, phil. Dr., 1) privatim *antiquissima linguae Theodiscae monumenta* interpretabitur diebus Lunae et Iovis h. III; 2) publice *exercitationes ad linguas septentrionales pertinentes* moderabitur die Martis h. III.

FRIDERICUS GUILELMUS KUESTER, phil. Dr., 1) privatim a) *de chemia physica et theoretica* disseret ter per hebd. h. XII, b) *methodos proprias chemiae analyticae quantitativae (analysin volumetricam, electrolysin, analysin vaporum, methodos opticas etc.)* tractabit semel per hebd. ab h. II ad h. V, b) *exercitationes practicas chemiae physicae* instituet semel per heb. ab h. II ad h. V; 2) privatissime et gratis *labores practicas et quaestiones chemicae physicae* ducet cottidie ab h. VIII ad h. V.

ALBERTUS DIETERICH, phil. Dr., 1) privatim *de Graecorum fabulis satyricis* praefatus *Euripidis Cyclopem* interpretabitur bis per hebd.; 2) privatissime et gratis *Latine et loqui et scribere* docebit tirones semel per hebd.

CAROLUS BUSZ, phil. Dr., 1) gratis *crystallos delineandos proiciendos computandos* proponet semel per hebd.; 2) privatim *repetitorium de rebus mineralogicis* habebit bis per hebd.

ALFREDUS PARTHEIL, phil. Dr., 1) gratis *aquae et urinae explorationem* tractabit semel per hebd.; 2) privatim a) *chemiam et explorationem nutrimentorum*

humanorum enarrabit bis per hebd., *b) chemiae partem organicam atque anorganicam* imprimis pharmaciae studiosos examinando docebit horis per hebd. quaternis postmodo definiendis; 3) *privatissime* una cum Ernesto Schmidt prof. *exercitationes practicas de nutrimentorum humanorum exploratione* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur cottidie.

PAULUS FRITSCH, phil. Dr., 1) *gratis institutiones et exercitationes practicas* in laboratorio chemico habebit semel per hebd.; 2) *privatim chemiae technologicae capita selecta* bis per hebd. explicabit.

AUGUSTUS BRAUER, phil. Dr., *publice doctrinam generationis* die Ven. h. v docebit.

LUDOVICUS BUSSE, phil. Dr., 1) *privatim a) in philosophiae scientiam* commilitones introducet diebus Lun. Mart. Iov. h. III, b) *historiam philosophiae recentioris* tractabit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes philosophicas ad Davidis Hume de intellectu humano tractatum* pertinentes binis per hebd. horis posthac definiendis habebit.

5. LECTORUM.

GUILELMUS TILLEY, linguae Anglicae lector, 1) *gratis a) linguae Anglicae phonologiam* docebit semel per hebd., *b) exercitationes Anglicas ad linguam pronuntiandam legendam scribendam spectantes* moderabitur quater per hebd.

CAROLUS DOUTREPONT, phil. Dr., linguae Francogallicae lector, *gratis a) scaenicae poesis apud Francogallos per XVIII saeculum historiam* tradet sermone gallico usus, semel per hebd., *b) exercitationes linguae gallicae, quali nunc utuntur*, instituet quater per hebd.

RICARDUS BARTH, professor, concentuum musicorum director, *gratis a) artem harmonicam* docebit *exercitationes*que addet binis per hebd. horis, *b) capita e musicae artis historia selecta* tradet singulis per hebd. horis.

FR. SCHUERMANN, *delineandi et pingendi artem* docebit, *doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam* semel gratis tradet.

Nec minus praesto sunt qui equitandi artem et armorum usum doceant.